


Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

111177



24 -



TOPOGRAPHIA
DUCATUS
STYRIÆ

LAUREATIS HONORIBUS
ILLUSTRISSIMI
DOMINI DOMINI

FRANCISCI
RAMBALDI VENEREI MARIA
S. R. I. Comitis
DE STRASOLDO,

Dum

In Alma, ac Celeberrima Uni-
versitate S. J. Græcensi
Primâ AA. LL. & Philosophiæ
laureâ insigniretur,

P R O M O T O R E
R. P. ANTONIO ERBER,
e S. JESU, AA. LL. & Phil. Doctore,
ejusdémque Professore Ordinario.

A Condiscipulis Baccalaureis dicata.
Anno M. DCC. XXVII. Mense April.
Die XXII.

Милюк
записано
Андрей
Симонов
Иванов
Дмитриев
Борисов
11177

A circular purple ink stamp. The outer ring contains the text "Národní knihovna České republiky". Inside the circle, the word "PRAHA" is written vertically.

V 368 fig. 3

ILLUSTRISSIME
DOMINE , DOMINE
C O M E S
NEO-BACCALAUREE.

Eoris peti non debet , quod domi nascitur , neque , ubi patriæ suppetunt divitiae , peregrina curiosè inquirenda sunt mune-
ra. Est porro hoc ipsum , quod Styriam ,
& quidquid in ea magnum est , erudi-
tis hodie lauris Tuis apponamus Illustri-
ssime D. Neo-Baccalauree. Quid enim
illustrius alibi disagregavit natura , quod
non in una patria nostra felici fædere
conjunctit ? fallor , an eò , ut , singula
fortè si Tuis inferiora essent meritis , to-
ta profectio Styria dignum Te munus su-
stineret. Topographiam banc ubi ocu-
lo curiosò perlustraveris , invenies passim
felici gramine luxuriantes in pascua
campos , colles alibi generofis vitibus ad
illecebras turgidos , fœcundas hinc utra-
que cerere valles , inde lectissimis piscibus
animata flumina , frequentia alibi in
aprugnos , cervinósque venatus nemora ,
aquas

aguas ipsas in salutifera scaturientes bal-
nea , celeberrimos acidularum fontes ,
montium adeo viscera ferrō , aliisque
metallis , & mineralibus grāvida , ubi-
que cæli genium saluberrimum , ubique
benignioris naturæ profusam liberalita-
tem . Universam itaque Styriam his
foliis concludi senties , Tua non item
præconia , quæ & libelli angustias , &
nostram facundiam excedunt , dum No-
bilitate duce , Virtute , ac Eruditione co-
mite laurigeri honoris theatrum con-
scendisti , unde reverti non poteras , nisi
coronatus . Ominamur his majora , si-
quidem Tua gesta inspicimus , quæ na-
talibus Illustrissimis aliunde communi è
sorte exemptum , etiam ultra ipsam ele-
vant Nobilitatem . Perge porro Illu-
strissime D. Neo-Baccalauree , utque fa-
stigium gloriae obtineas , nihil age , quād
quod agis . Quare pro comitate Tua
basce paginas benevolō suscipies animō ,
dum longævam Tibi incolumentem ,
laureaque Thæ aeternum decus , & am-
plissima votemus incrementa .

Honoris Tui

Studioſiſſimi
Physici Condiscipuli.









TOPOGRAPHIA DUCATUS STYRIÆ.

STYRIAM, Germanis Steyer, vel Steyermarch, ambient ab Oriente Hungaria & Sclavonia; ab Occidente Salisburgensis Dicio, & Carinthia; à Meridie Carniola; à Septentrione Austria. Distinguitur in Inferiorem, & Superiorem: hæc montibus horret; illa, et si illis non careat, in planos tam en campos alicubi expanditur. In hac montium asperitatem alternantes mitigant valles frugibus refertæ; leniores in illa colles, quæ Ortum respicit, generoso superbiunt vinô. Cæterum agri utrobique fertiles, sylvæ multâ ferâ plenæ, acidi fontes, thermæ salubres, amœna in summiis etiam alpibus paucua, & rupes ferrô, ære, plumbô, & argentô, aliisque mineralibus gravidæ Provinciam celebrant.

Sub Romanorum Imperio Styriæ pars Occiduis adjacens regionibus ad Noricum me-

diterraneum pertinebat, reliqua Ortivis con-
 termina Pannoniæ adscribebatur. Norici
 Tauriscis ibidem successerant, quod Plinius
 disertè docet, (a) dum ait: *Juxta Carnos
 quondam Taurisci appellati, nunc Norici.* La-
 tiùs tamen, quām ea Styriæ portio Taurisco-
 rum patebat tractus, utpote per totum Austra-
 le Noricum alpibus proximum, ad Rhætiam
 usque se extendens, quod itidem ex subjunctis
 Plinij verbis: *His contermini Rhæti, & Vinde-
 lici, compertum est.* Tauriscis verò adhuc la-
 tiùs habitasse Noricos ex Strabone (b) disci-
 mus, cujus hæc sunt verba: *Noricorum sunt
 etiam Taurisci, uti Cluverius vertit, vel ut in
 Lugdunensi legitur editione: In Noricis &
 Taurisci sunt.* Ubi clarè innuit, hos ad illos
 velut speciem ad genus referri. Demum,
 quamvis vacillare videatur Cluverij sententia,
 omnes Alpinos populos Tauriscos appellan-
 tis, cùm Plinius hos à reliquis alpium incolis
 manifestè distimat, eos in prædictato loco ita
 enumerans: *Incole Alpium multi populi, sed
 illustres à Pola ad Tergestis regionem Secusses,
 Subacerini, Catili, Manocaleni, juxtaque Carnos
 quondam Taurisci appellati.* Nihilomi-
 nus Australiora Cetij in Austria descripti juga,
 quæ modò Styriæ includuntur, Noricos alias
 Tauriscos tenuisse, ratum plurimis est. Si-
 quide[m] omnem ambigendi ansam adimunt-
 sum Strabo, & Plinius illos Carnis adjacentes,
 quod

quod hic alibi (c) magis dilucidat : à tergo Carnorum, & Iapidum eosdem statuens, tum alia quoque indicia, quæ mox emergent.

Inter hæc non leve momentum inest ipsi Styriæ vocabulo, quod à Germanico verbo Styer, hoc est, latinè Taurus dimanâsse primum est ; hinc vetustiores aliqui non Steyer-march, sed Styrmarch scripsisse reperiuntur. Videntur itaque Germanici populi trajecto Danubiō in has terras egressi Romanum Tauriscorum nomen, quasi hoc à tauris derivaretur, in consonam proprij idiomatis vocem comniutasse : unde & taurum olim feruntur in suis insignibus habuisse, cui flammivomam deinceps pantheram subrogârunt. Quod tamen non evertit, uti Schönleben (d) prætenit, eruditam Cluverij (e) conjecturam, quam ille hâc ratione deducit. *Hoc Tauriscorum nomen esse derivatum, non è Gallia allatum, ut antiqui Græcorum crediderunt Scriptores ; sed hisce in oris natum, testantur Noricorum monzes, qui inter Dravum, & Salsiacum amneis (vulgò bœ est Saltzbach) etiamnum vulgari vocabulo dicuntur Tauri, variis cognomentis distincti, ut Krumler-tauri, Windisch-tauri, Felber-tauri, Karner-tauri, Kaiser-tauri, Rauriffer-tauri, Kastein-tauri, Vellacher-tauri, Rachflätter-Tauri, & alij. Aquorum vocabulo bœ dudicatur Celtico sermone gens acco-*

*la dicta fuit : Thi Taurischen , quod postea
Græci, atque Latini fecere Taurisci , quemad-
modum Thi Theutischen , Theutisci . Non ,
inquam, evertit ; hæc quippe nominis origo
ante Romanorum adventum Celtis isthic de-
gentibus attribuitur , atque hi saltem dialecto
ab iis veteris Germaniæ gentibus discrepan-
bant, quæ labente Romanorum potentia No-
ricum inundârunt. Sub una autem Celtarum
voce hodiernam Germaniam , & Galliam ,
aliásque ad septentrionem Provincias apud
vetustissimos scriptores singularium distri-
ctuum adhuc ignatos latuisse , ex corundem
testimonij passim demonstratur. Porro Ro-
manos , cùm Imperium ultra Italîæ claustra
promovissent, usurpata ab indigenis locorum
nomina latino more inflexa , plerumque ac-
ceptâsse, innumera exemplorum serie stabili
facile potest. Indubitatum enim est has vo-
ces Marcomanni , Langobardi , Nortmanni ,
Hermunduri , Langobriga , Asciburgium , Mar-
codurum , Teutoburgium , aliásque hujusmo-
di à Latinis illius ætatis authoribus admissas ,
eam originem præseferre. Discussis iis, quæ
de Tauriscorum ortu, atque etymologia, pro-
babili saltem ratione fulciri possunt, poste-
rum locum nunc fabulis demus.*

Congerit has Lazijs , & ut tales meritò ex-
plodit Schönleben ; (f) Teyram scilicet Jo-
vis fratrem post diluvium egressum ex Persia ,
ubi

(f) In Car. Anti. Appar. c. I. §. 4.

ubi mons Taurus Tauriscorum indicat primordia, per longas viarum ambages in Europam commigrasse, iisque primò secus Pontum Euxinum Tyragetibus populis, & Tyræ fluvio nomina indidisse. Hinc ad Istri crepidinem concessit, ubi conditò Taurunò, seu Albâ Græcâ ad Carpathum montem progressus Teuriscorum coloniam eò deduxit; sed fertiliores appetens terras Germaniam petiit, in qua Thuringiæ Regnum auspicatus Teuriscos, & Tauriscos in Celticas Alpes propagavit. Verùm quid tandem est (ut Velleri (g) verbis utar, quibus in aliud Lazij commentum invehitur) *quid*, inquam, *tandem est*, si *hoc non est*, *aliorum abuti patientiâ, neque mentem, neque frontem scribendis libris afferre?* Quæ est, quæ so, inter Thuringos recentius nomen, & Tauriscos affinitas? cur hic Tyragetes, ibi Taurisci procreantur? Quis adeò accuratè tot itineris flexus eo tempore conscripsit? quis demum ille post diluvium Teyras, & quidem Jovis frater? forsitan unus ex iis, quos Patens Saturnus adhuc vagientes devoravit?

Altera Styriæ pars, quam minus montibus asperam Pannoniæ adscriptissimus, specialius quoque nomen sortita, supra Dravum Fluvium Valeria, infra eundem Pannonia Savia aliquando dicebatur. Nämque illam inter

Pannonios Danubio , & Dravo disertè clausi-
dunt Sextus Rufus, (h) & Jornandes, (i) hanc
verò idem Rufus Valeriam inter & Dalmatiam
extendit. Savia cognomentum à Savo flu-
vio, quo à Meridie terminabatur, derivari pa-
lām est. Valeriam teste Aurelio Victore (k)
ita appellari jussit Galerius Maximianus Im-
perator in Valeria uxoris gratiam, Diocletia-
ni filia.

Romanas aquilas cum Norico , & Panno-
nia venerata est utraque Styria, sed Tauriscos,
& nonnullos alios populos, Coss. L. Cornifi-
cio, & Sexto Pompejo, id est, anno ante Vir-
ginis partum 35., ab aliis defecisse, ac tribu-
ta pendere detrectasse tradit Dio Cassius. (l)
Quare necesse habuit Cæsar Augustus ex Si-
cilia, unde in Africam meditabatur, exerci-
tum reducere, quō reprimerentur. Ceterū
qui, & quando hæ regiones in Romano-
rum potestatem redactæ sint, præcitatus Sextus
Rufus paucis complectitur; unde haud pigeat
eum ita enarrantem audire: Sub Julio, & Octa-
viano Cæsaribus per Alpes Julias iter factum
est; Alpinis omnibus devictis Noricorum Pro-
vinciæ accesserunt. Bathone Pannonicorum
Rege subacto, in ditionem nostram Pannoniæ
venierunt. Amantinis inter Savum, & Dra-
vum prostratis, regio Savensis, ac secundorum
Pannonicorum loca obtenta sunt. Marcoman-
ni,

(h) In Brev. Rer. Rom. (i) Lib. de Regnor.
succes. (k) De Cæsar. esp. 40. (l) Lib. 49.

ni, & Quadi de locis Valeriae, quæ sunt inter Danubium, & Dravum pulsæ sunt: & limes inter Romanos, & Barbaros ab Augusta Vindelicum per Noricum, Pannonias, & Mæsias est constitutus. Romanos in Styria hac ratione positos, varix à septentrione gentes infestârunt, donec tandem ejecerint. Post Marcomannos, & Quados, ab anno Christi 332. reliquis prævisile videntur Vandali, Germanicæ natio à Vindis, Vendis, seu Venedis omnino distincta, impetratâ à Constantino Magno, sedis in Pannonia inferiori figendæ potestate, cùm à Geberico Gothorum Rege non procus à Danubij ostiis, quo ex Balthicis oris advenierant, gravi clade cæsi, aliò declinare compellerentur: iis verò recedentibus subingressi sunt Goths, dein Longobardi ex Germaniæ pariter oriundi; mox secuti Vindi, seu Slavi, Hunni, atque Avares; postremò Franci, cùm Carolus Magnus sub annum 790. amplissimos ditionis suæ fines usque ad mare Adriaticum protenderet.

Francorum nomine primùm, dein suo, Styriæ imperitârunt Bojotum, seu Bavariæ Duces, quorum erat Marchia, seu limes adversus Slavos, & Hungaros constitutus, donec anno 1030. Conradus II. Imperator Styriam ab his avulsam imperiale Marchiam, seu Marchionatum creavit, ei præesse jussò Ottocaro Comite in Muerztal, & Avelanz, Dominio in Eppenstein, Maruardi Carinthiæ Duci-

cis ex fratre nepote; non tamen hereditario
in posteros jure, licet hi ordine successerint;
id enim ab Henrico V. Imperatore anno
1120. primum obtinuisse Leopoldum Ottocari
III. filium Fuggerus testatur; (m) in praemium
scilicet victoriae, quam contra Abam Hungariae Regem prope Petovium retulerat.
Nonnulli tamen opinantur apud Merianum,
Ottocarum I. non toti, quatenus hodie patet,
Styriae praefuisse, sed duntaxat superiori, Styriae
ensi insuper Comitatu, Austriae nunc inserto,
quem author Anasperg vocat, à Conrado Czare
donatum: Inferiorem autem, seu Græcense
territorium post Waldonis Comitis Ru
nensis mortem Henrici V. indultu Leopoldo
accessisse. Fateri interim necesse est, histo
riæ hujus veritati densam apud historicos caliginem offundi. Certissimum istud, quod
Leopoldi cognomento Fortis Nepos, Otto
carus, Dux Styriae primus à Friderico Oeno
barbo anno 1180. renuntiatus, cum elephan
tiasi laboraret, consentientibus Provinciæ sta
tibus, Ducatus heredem Leopoldum Virtuosum
Austriacum Anno 1186. designaverit, ut
diploma codici Privilegiorum Styriae insertum
monstrat, quem etiam Anno 1192. die 8.
Maij, vivis erexit successorem habuit. Hinc
Babenbergicis Principibus Styria paruit, quo
rum successore Hermanno Badensi terris sub
du.

(m) In Spec. Hon. Ausfr. Lib. 2. cap. 3.

ducto, & Ottocaro Bohemo Austriam occu-
pante, Styri hujus dominatum abhorrentes,
Henricum Bavariæ Ducem invitârunt, qui
cùm Belam Hungariæ Regem, suûmque so-
cerum consilij gratiâ priùs adivisasset; hic re-
intellecta sibi clam Styrorum aninios conci-
liare nititur, atque Henricô, auxilij inope ad
suos remissô, Petovium occupat, & tandem
provinciam, Ottocaro armis fatigato, Anno
1254. extorquet. Verùm Ottocarus profligato
ingenti clade ad Moravæ littora, Belæ exerci-
tu, Anno 1260. eandem sibi rursus vendicavit.
Tandem Ottocarô à Rudolpho I. Cæsare, uti
notum est, profligatô Styriæ Ducatus unâ cum
Austria Alberto victoris filio non sine motibus
cessit, à quo ad nostram usque ætatem sub Hab-
spurgicæ, nunc Austriae Prosvapiæ Imperio,
invidenda à cunctis populis forte, prosperè
perseverat. His itaque, quæ ad universam
Provinciam spectant, de more præmissis, ejus-
dem priùs Metropolim, dein cætera relatu di-
gniora consueto Alphabeti ordine deducam.

GRÆCIUM,

Metropolis Styriæ.

GRÆCIUM, vulgò Grätz, nobilissima Urbs
lævo præterfluentis Muræ littori insi-
dens, solô gaudet per amœnô partim in plani-
tiem explicatô, partim in montes abietibus
vulibusque confitos sese attollente. Respon-
det latitudinis gradui 47. cum min. 2. longi-

eudinis verò gradui 39. cum min. 35. Viginti
 per lineam rectam milliaribus Viennā in Meri-
 diem abscedit, licet tritum ab ultro ciuitate
comitantibus iter 24. millaria complectatur.
 Antiquitatis famam illi adstruere ntititur Clu-
 verius, cùm Ptolomæi Muroélæ Græcium suc-
 cessisse arbitretur. At Muroélam Muræ fluvio
 quondam proximam tum vocis similitudo, tum
 gradus ab authore annexi utcunque persua-
 dent. Certum autem ejus situm cùm nulla præ-
 luceant indicia, humanæ mentis acies ægerri-
 mè assequetur. Hinc in diversa scriptores
 abeunt, cùm alij Oppido Mureck, 6. infra
Græcium milliaribus Muræ adjacenti eandem
 adscribant. Omnium tamen infelicissimè
 divinat Lazius, qui regiones sūsq[ue], d[icit]que in-
 vertens Savariam istic statuit in Hungaria
 duntaxat reperiendam, cui errori ut medeatur,
 novum affingit, alteram Styriæ Savariam in
 arena ædificando. In vetustis porrò codici-
 bus Bavanicum **Græcium**, seu *Bayrisch Grätz*,
 ad aliis distinctionem vulgo WindischGrätz,
 & quidem peculiariter in Friderici Bellicosis,
 ex stirpe Austrio-Babenbergicâ, Ducis ultimi
 diplomate quodam appellatur. Exinde col-
 ligit apud Merianum Aventinus, hoc Vindo-
 rum, sive Slavorum, illud verò Bojorum con-
 finia defendisse, nominis etymologia à voce
 Gräniz derivata. Alij tamen à Slavico voca-
 bulo *Grad*, quod *Castrum* sonat, eam oriri
 contendunt, tolerabili utrinque conjectura.

Ur.

Urbem fossis, murōque turribus interjectō,
 jam sub vetustis Marchionibus cinctam, novo
 rursus opere muniverat Fridericus Imperator
 Pacificus. At crescente indies artis industria
 inter crepundia censebantur, quæ olim non
 modicum hostibus terrorem incussissent;
 ideoque sub Carolo Archiduce, ejusque filio
 Ferdinando dein Cæsare II. aggestā humē vi-
 sa sunt altius assurgere mænia, prominere la-
 tiūs propugnacula, fossæ profundiūs penetra-
 re; hujusmodi enim munimenta totum am-
 bitum vallant, si unum excipias latus ab al-
 luente fluvio custoditum. Inter hæc quin-
 que panduntur portæ à Mura, saccis, D. Pau-
 lo, ferro, & novitate sua nomen fortitæ. Cur-
 vatam in Urbem protenditur ab Aquilone
 excelsa rupes à circumjacentibus montibus
 prorsus divulsa, cujus verticem coronat for-
 tissima Arx omni bellico apparatu egregiè in-
 structa; hinc enim eam tuetur inaccessus ob
 præcipitum aditus, inde solida obviant valla
 gravioribus catapultis onusta; internum ar-
 mamentarium æneis abundat fistulis; aquam
 amplæ suppeditant cisternæ, & prodigiosus sa-
 nè puteus per durissimam petram ad usque
 montis radicem improbo labore deductus;
 imò & Divina adsunt præsidia, centrum quip-
 pe ferè tenet sacra D. Thomæ Ædes, quæ Ar-
 cis ætatem antevertere fertur, inter saltus
 collem quondam obsidentes primitus erecta;
 adjacet illi turris, in qua appensum æs campa-

num mirae magnitudinis latissime resonat.
Quæ pene omnia providam Archiducis Caroli magnanimitatem jugiter deprædicant; si quidem is plurima adjecit, postquam nobile hoc Castrum factâ cum Provinciæ statibus, alterius boni commutatione, Archiducali iuri addixisset.

Interiorum jam Civitatis faciem lustraturi à Templis initium sumamus. Præminet his Aulica D. Egidij Græcensis Tutelaris Basiliæ à Friderico Pacifico Imperatore locò veteris Sacrarij, opere magnifico à fundamentis anno 1450. inchoata, & anno 1577. Societati JESU tradita. In hac marmoreis conduntur sarcophagis sacra DD. Martini, Vincentij, & Maxentiæ Martyrum corpora à summo Pontifice Paulo V. ad Archiducem Ferdinandum anno 1617. transmissa: Præter Caroli Fundatoris nostri viscera ad dextrum majoris aræ latus niveosub marmore condita, etiam Archiducum Maximiliani, Ferdinandi Junioris, & Joannis Caroli, corda argenteis scyphis inclusa, subterranea in crypta continentur. Aram maximam, ingenti altitudine, ex ligno affabriè sculpto, aureisque bracteolis fulgido, Mariæ Bavaræ, Carolinæ viduæ, munifica pie-tas erexit. Reliqua cum prædivite ornatu suo tacemus. Proximum huic Basilicæ a-surgit templum aliud, mole quidem minus, attamen totius architecturæ elegantiâ, pre-tiöque augustius, quod Ferdinandus II. Divæ

Partheno Martyri Catharinæ in od̄eum , sibi
 verò in Mausoleum, impensis augustis posuit;
 Leopoldus Magnus, ejusdem Nepos, aris &
 picturis decoravit. Hic præter Mariæ An-
 næ, stirpis Bavaræ, Ferdinandi II. tunc Regis
 Bohemiæ conjugis anno 1618 è vivis subla-
 tæ , & Caroli Joannis ejusdem primogeniti ,
 subsequenti anno vitâ functi cineres, quiescunt
 glorioſæ ipsius Ferdinandi Augusti exuviae , ut
 ea in urbe pretiosum sui pignus post funera de-
 poneret , à qua primam lucis usuram fuerat
 mutuatus. Ægidianæ Basilicæ ex opposito
 fronti latere per arcum necititur Academicum
 Societatis JESU Collegium , nobile ab anno
 1573. Archiducis Caroli Fundatoris monu-
 mentum, quod Ferdinandus II. parentis muni-
 ficientiam æmulatus, amplioribus proventi-
 bus liberaliter dotavit. Collegium excipit
 Universitas Philosophicis , & Theologicis di-
 sciplinis præter humaniores musas inclyta , à
 memorato Archiduce anno 1586. erecta , at-
 que à Sixto V. summo Pontifice , & Rudolpho
 II. Imperatore confirmata. Ædificij tamen,
 quod hodie emicat , structura non nisi ab anno
 1607. affurrexit. Nobilitârunt Academicam
 hanc Palæstram bini Serenissimi Palladis asse-
 clæ, nempe Archiduces Maximilianus Erne-
 stus, & Leopoldus, qui ejus scholas palam adi-
 re, & Theodosium Magnum ille, hic D. Am-
 brosiuni anno 160. in scena exhibere raro
 exemplō non sunt dignati, ex quibus se-

cundus Philosophicas insuper theses Rudolpho Cæsari dicatas gloriofissimè propugnavit; Alij verò post Ferdinandum Augustum, primū Academicum, albo sua nomina inscripsérunt.

Cætera pientissimæ Urbis Templa sunt Parochiale sanctissimo sanguini sacrum, olim à Venerabili Prædicatorum Ordine per Fridericum Imperatorem Pacificum adducto, nunc à Græcensi Parocho, & Inferioris Styriæ per Voraviensem districtum Archidiacono administratum. Huic adnexum Cæsareum Xenodochium Ferdinandi I. opus. Templum B. Virginis in cælos assumptæ, quod olim Minorites Divi Francisci Conventuales habebant, demum anno 1515. Observantibus concessum. Templum D. Pauli Apostoli ad montis Græcensis crepidinem per gradus plurimos affurgens, quod anno 1619. inceptum, & octenij spatio ad apicem perductum, alterius vires subit, quod post D. Thomæ Ædem Arci inclusam antiquissimum habebatur. Addita fuit huic anno 1558. S. Augustini Eremus, sed ob Heterodoxos eleemosynas subtrahentes, à Religiosis deserta; verùm illis Ferdinandi II. auctoritate reversis, venustius restaurata. Templum Divo Antonio Patavino sacrum, cum annexo Capucinorum asceterio, ad ejusdem montis radices, à Ferdinandō II. Catholicæ Religionis vindice, Anno 1600. verè sancto, die decimâ Augsti, primum ea in area lapideam accepit, in qua pridie dena hæ-

reticorum librorum millia, ex tota urbe collecta, fuerunt exusta. Huic vicinum est Templo D. Josephi Discalceatorum Carmelo adscriptum, ante quod patens forum ab inaurata DEIparæ statua præaltæ columnæ imposta illustratur. Templum S. Leonardi, cum adjacente Monasterio munificentia Friderici Pacifici, Anno 1463. crexit, & Minoribus S. Francisci Observantibus consignavit. Sed his ad hodiernam stationem anno 1515. recentibus, successerunt sacrae DEO Virgines D. Dominici legibus obstrictæ, quæ ex alio Monasterio ab Udalrico à Walsee anno 1313. ante portam ferream, cum DEIparæ Basilica, condito, sed ob incussum à Mathia Corvino armorum metum solo cum iisdem æquato, in urbem se contulerunt. Templum omnibus Cœlitibus sacrum in eo loco situm, quo anno 1568. Styriæ Proceres hæresi infecti scholas suis Rabulis fundaverant, unde sectæ pestiferæ venenum latius effunderent. Verum iis à Ferdinando Archiduce anno 1598. severò editio die 28. Septembris ex urbe pulsis, Maria Ferdinandi Mater, Princeps pietati addictissima in expiatas ritè ædes, D. Claræ sanctimoniales ex Monachiensi S. Jacobi Monasterio advectas anno 1603. solenniter induxit; quibus ipsamet postmodum accessit, religiosa vota, annuente Apostolico Nuncio, paulò ante mortem nuncupans, atque in religiosis indumentis ibidem sepulta. Templum DEIparæ ab

ab Angelo Salutatæ, cum Theresiano Parthenone, propè novam urbis portam, in Muræ litore Ferdinandus III. Imperator, Maria ejusdem conjux, Eleonora Ferdinandi II. vidua, atque Archidux Leopoldus Guilielmus anno 1643. fundaverunt. Templum Sanctissimæ Trinitatis, in altero Sacco, ad ejusdem fluminis ripam, cum amplissimis Ursulinæ Societatis ædibus, ac puellaribus scholis, primordia sua potissimum debet celsissimæ pietati Therese, natæ Principis à Liechtenstein, primùm Lesleæ, dein Wagenspergicæ viduæ, publico encomio pauperum, præsertim verò ægrotationi matri. Sacrae Virgines partim Viennâ, partim Goritiâ anno 1686. huc appulerunt.

Expeditis sacris profana invisiuri ædificia ab Aula auspicamur, quæ inter reliqua primatum meritò sibi vendicat. Hanc à Friderico IV. Imperatore cognomine Pacifico è fundamentis eductam, in constantem sibi sedem delegere bini Archiduces Ferdinandi I. Cæsaris filius, & Nepos, Carolus nempe, & Ferdinandus, antequam iste totius Imperij clavo admoveretur. Magno tamen decori etiamnum ei sunt suprema quatuor Tribunalia ibidem instituta; videlicet Intimum Consilium, quod cæteris omnibus authoritate antecellit; Regimen, cuius author Archidux Carolus ab anno 1565., caput verò ipse urbis Locumtenens; Camera cum peculiari suo Præside; atque hæc tria toti Interiori Austriae jura dicunt,

cunt, quo nomine non modò Styria, sed & Carinthia, & Carniola cum Goritiensi comitatu comprehenduntur ; quartum demum est Consilium Bellicum, quod anno 1558. idem Archidux Carolus primò concivit, ut Turcicis confiniis excubaret. Quamobrem etiam non procul hinc longum protenditur armamentarium Academiz contiguum, cui de omnigena Martis supellectile affatim prospectum. Suppar Aulæ Domus Provincialis ab anno 1563. in magnificam, quæ hodie eminet, molem attolli cœpit, ubi Comitia sua cogunt Provinciaz status ex Prælatorum scilicet, Dominorum, Equitum, & Civitatum Ordinibus coalescentes. Adjacet huic quoque proprium armamentarium ad patriæ tutelam providè adornatum. Est & sua Civibus Curia, quos lecti ex ipsis Consul, Judex, & Senatus moderatur. Tenet illa caput oblongi fori binis nundinis quovis anno frequentati, cui in altero opponitur Sanctissimæ Trinitatis Colossus ex inaurato ære confectus, & celsæ columnaz plurium Sanctorum statuis circumdatæ incumbens.

Lustratâ, quantum assumpti operis ratio patitur, Civitate, jam mænibus egressuros D. Pauli, ferreaque porta ad bina nos Suburbia deducunt, unum consecrat S. Joannis Baptizæ Ecclesia Capucinorum Asceterio adjuncta per Ludovicum Sigismundum Comitem à Dietrichstein, Aurei velleris Equitem, & Ca-

meræ Præsidem, Anno 1648. condita, alterum vero venustum D. Annæ templum, cum pari Eremitarum S. Augustini, quos discalceatos vocant, Monasterio, qui anno quidem 1655. sedem urbi propiorem Joanne Maximiliano Comite ab Herberstein fundatore fixerant, sed ea ob appropinquantium Turcarum metum anno 1664. eversa, ad extimos Suburbij limites recesserunt: ubi primum novi ædificij lapidem magna solennitate posuit anno 1673. Augustissimus Imperator Leopoldus I., dum Græcij hymenæum cum Claudio Felicitate celebraret. Maximum autem Suburbium, & amplitudine sua Urbem superans, Mura fluvius ab eadem sejungit. Surgunt hic pariter Tempa non pauca, quæ breviter memoranda censeo. Primum Beatissimæ Virginis Auxiliatricis prodigiis claræ, in quo sacellum, & Celsissimæ stirpis Eggenbergicæ, haud pridem extinctæ, conditorum, D. Artemij Martyris corpore à Joanne Antonio Principe Româ adducto ditatum. Adiectum Cœnobium Minores Conventuales incolunt, cum vetus intra civitatem claustrum Observantibus cessissent. Alterum est D. Andreæ, quondam parœciale, à sacro Prædicatorum ordine, relictâ urbe huc commigrante administratum, ad cuius amplissimi cœmeterij fines pervetussum D. Annæ sacellum, bellicæ turris instar, formâ rotundâ eminet. Vicinum huic est orphanotrophium,

cum

cum eleganti ædicula Innocentibus ab Hero-
 de cæsis dedicata. Oppositâ ex parte penes
 aquæductum Hospitale civicum, cum ecclie-
 sia Sancti Spiritus; in altera autem ripa tem-
 plum S. Laurentij, cum adjecto Monialium
 Divæ Elisabethæ cœnobio, & mulierum ægrot-
 tantium nosocomio, per laudatam superiùs
 Theresiam Principem Liechtensteiniam fun-
 datum visitatur. Nuper quoque in arenario
 vico sacellum artifice penicillo illustratum,
 Divi Francisci de Paula honoribus Italica na-
 tio erexit. At totius suburbij umbilicum,
 Lauretano cum sacrario, & ample virotum
 languentium Xenodochio, Fratres miseri-
 cordes ex ordine S. Joannis de DEO, ab An-
 no 1615. Austriacâ munificentâ occupant.
 Adsitum est huic cœmeterium pauperum, cu-
 jus centrum ædicula Divo Georgio Martyri
 inscripta tenet. Desinit Murauum hoc Sub-
 urbium, quâ contra fluvium ascenditur, in
 rupe quadam supra planum alias solum emi-
 nente, quæ ad repræsentandum Calvarię
 montem à natura mirè aptata, & ab arte ele-
 cta, ideoque pluribus, ac venustis Sacellis sin-
 gulos Christi patientis casus exhibentibus in-
 sessa liberalem Græcensium pietatem latè
 ostentat, & deprædicat. Urbis hujus decora
 denique claudat secundo ab ea lapide remo-
 tum superbissimum Eggenbergensium Princi-
 pum Palatium, Udalrici Crumloviensis Ducis
 opus, augusta sanè majestate inter circumfitos

hor-

hortos, & fossæ ambitum forinsecus assurgens,
intus vero elegantibus picturis, & gypsatis or-
natibus plurimum renidens.

ADMONTENSE *Monasterium.*

Admontium, quod Ad montes alij, vulgus
Admont indigitat, superioris Styriæ an-
tiquissimum, ac celeberrimum Ordinis S. Be-
nedicti Monasterium ad Anisum fluvium inter
editos montes amplius planiticem in crucis
formam definientes, B. Gebhardus Archiepi-
scopus Salisburgensis, Comes ab Helfenstein,
è vetustissima Agilolfingorum Alemanniæ
Ducum familia, prout Bucelinus (n) testatur;
anno 1074. à fundamentis erexit. Ad opus
istud fertur etiam divinitus impulsus. Cùm
enim rei arduitate deterritus, post triduanum
jejunium anceps in ea valle hæreret: an id
sibi aggrediendum foret, audiit quendam he-
betem, à nativitate auditu & loquelâ orba-
tum, in hæc verba prodigiosè erumpentem:
Tu inebies, DEUS consummabit. Hæ primæ
ac postremæ tunc hominis voces fuere, donec
iterato miraculo post Beati obitum linguæ
usum apud ejusdem tumulum obtinuerit.
Templum ipse Beatus Praesul Sanctissimæ DEI
Genitricis, ac D. Blasij Episcopi, & Martyris
honori consecravit, ibidem dein ante Apo-
lo.

(n) In Ger. sacr. pag. 2.

lorum aram magnificè conditus, postquam an-
 no 1088. die 16. Junij, in Wervensi Castro,
 quo se contra Henricum IV. Germaniae Re-
 gem munierat, parem pientissimæ vitæ exi-
 tum fuisset sortitus. Primus Abbas præfuit
 Isingrinus è Salisburgensi S. Petri Monaste-
 rio postulatus, qui successorem habuit B. Gi-
 fibertum apud Corozaim Palæstinæ urbem,
 quo cum S. Thiemone Salisburgensi Archi-
 episcopo profectus fuerat, martyrij laureâ an-
 no 1101. coronatum. Sextus Abbas Wolff-
 holdus, qui obiit anno 1137. obtentâ à Ciliæ
 Comite ditissimâ S. Martini Præpositurâ pro-
 pe Græcium sitâ, priores redditus plurimùm
 ampliavit. Verum non tam temporalia,
 quâm spiritualia promovebantur incrementa.
 Sub septimo siquidem Abate Godefrido
 adeò eluxit in hoc Cœnobio regularis disci-
 plina, ut tredecim alia suos inde Prælatos ad-
 vocaverint. Singularem quoque memoriam
 meretur Henricus hujus nominis tertius, Ab-
 batum verò juxta Bucelini calculum vigesim
 us septimus, qui ab Alberto I. Imperatore
 Vicarius Styriæ Gubernator creatus, aliena-
 tos Monasterij fundos redemit, Arcem Gal-
 lestein, Templumque noviter exstruxit, at-
 que à Gregorio X. Summo Pontifice, qui obiit
 anno 1226. Insulæ decus primus impetravit.
 Adjacebat olim huic virorum Cœnobio aliud
 in Sanctimonialium usum à memorato Wolff-
 holdo sub annum 1120. fundatum, quod pro-
 fess.

sessione sua illustrarunt Sophia Belz II. Hungariæ Regis filia Henrico Conradi Cæsaris filio despontata, & Agmunda Andreæ I. Hungariæ itidem Regis vidua. Quod autem fatô, aut ætate desierit, incertum.

A U S E E.

Ausee pervetus sum, idque geminatum est oppidum ad Austriæ, Styriæque superioris confinia situm, exinde memorandum, quod ibidem deducta ex prægnantibus sale montibus unda, in valis fætaginibus, quas antiqua Marchionum diplomata patellas vocitant, adeò fertili proventu excoquatur, ut de necessario hoc condimento toti Provinciæ sit abunde prospectum. Primarium ejusdem loci templum Divi Pauli, Doctoris Gentium Nominis sacratum.

C E L L A M A R I A N A.

Cella Mariana, vulgo Maria Cell locus est inter præaltos, arduosque montes à Deiparae prodigiis clarissimus, & Austriæ finibus admodum propinquus. Natales habuit, ut marmor candidum propylæo Basilicæ affixum docet, anno 1205. quo Religiosus quidam D. Benedicti assecla ex S. Lamberti Cœnobio ad rem œconomicam administrandam, & rudes subditos rerum divinarum notitiâ imbuedendos hic destinatus, secum detulit cubitalem DEIPARÆ statuam Jesulum brachio sustentantis,

quæ

quæ sculpta ex tilia Filium Matri pomum,
 Matrem verò Filio pyrum portigentem.repre-
 sentat. Hanc ille arulæ imposuit, quam in
 cella, seu ædicula sua ad duorum amnium
 Golradi & Salzæ confluentes, ex ligno eretâ,
 privatam habebat. Hinc itaque toti valli
 nomen, quæ vernaculè Cell-Thal etiamnum
 appellatur. Latuit prodigiosa hæc icon pauci-
 sis adhuc nota usque ad annum 1226. (ut
 Balbinus (o) accuratè observat) quo Mora-
 viæ Marchione Henrico, ejusque uxore Agne-
 te per triennium paralyti laborantibus, cùm
 subditi supplicationem instituissent, ut per B.
 Virginis, & Provinciæ Patroni D. Wenceslai
 intercessionem Principum salutem à DEO im-
 petrarent; Sanctus hic Tutelaris Henrico per
 somnium apparuit Marianam Styriæ Cellam
 digito indicans, atque exhibitâ, quæ ibi cole-
 batur, DEI paræ imagine, ut reparatam inte-
 grè valetudinem huic adscriberet, debitâsque
 cum conjugi grates rependeret, eundem com-
 monefecit. Somno excitus Marchio, & sa-
 nitati plenè restitutus, cùm hoc ipsum ea no-
 cte Agneti contigisse perciperet, comproba-
 tam geminò miraculò visionem admiratur:
 sacrum proinde iter aggressus, magnam secum
 traxit populi multitudinem videndæ Cellen-
 sis Thaumaturgæ avidissimam, cùmque à recta
 via declinasset, ab Angelo quopiam, vel D.
 Wenceslao sub peregrini specie, testante id

mar-

(o) Epitome Rer. Bohem. lib. 3, cap. 33.

marmoreâ tabulâ Templi foribus präfixâ, fera-
tur ad eandem revocatus. Cupitam tandem
metam assicutus, agnitâque, quam in sonnio
viderat, imagine, non modò demississimas so-
spitæ suæ gratias persolvit: verùm etiam pre-
tiosa largitus munera, ligno, quo illa conde-
batur, facello, nobilius è saxo pia liberalitate
suffecit. Ab eo igitur tempore adeò illustris
miraculi fama per circumcisas regiones longè,
latéque diffusa, plurimos ægros ad imploran-
dum, non sine uberi fructu, prodigiosæ Virgi-
nis patrocinium excitavit, donec anno 1363.
Ludovicus I. Hungarorum Rex (p) Amura-
thi Turcarum Sultano, ex Asia per Hellepon-
tum, & Thraciam cum numerosissimo exerci-
tu in provincias coronæ Hungaricæ annexas
irrumpenti, viginti milium millibus, quos
raptimi conscripserat, solummodo stipatus
obviam processit, sed felicem rei even-
tum, cuius nulla spes humanitus affulge-
bat, à Cellensi Thaumaturga prästolaba-
tur, cui se ardentissimis precibus commendâ-
rat. His itaque permota DEI para, dormien-
ti Regi spectandam se präbuit, certam de ho-
stibus victoriam pollicita; simûlque Marianam
eam tabulam, quam Rex deferre secum
perpetui consueverat, ejusdeni sinu impos-
suit. Rex itaque postridie Barbaris debella-
tis vîctor, etiam vîctrices copias ad Marianam

Sty-

(p) Lambecius in Diario Itin. Cell. pag. 58, &
seqq,

Styriæ Cellam anno subsequo deduxit, pos-
 tisque in fundamenta novæ Basilicæ primo la-
 pide, suum pariter ensem, & calcaria, quibus
 in prælio usus fuerat, coronam item argen-
 team inauratam, genimisque distinctam cum
 paludamento regio, aliâque pretiosa cimelia,
 sed omnibus pretiosam magis invictissimæ
 Cœlorum Reginæ tabellam pro anathemate
 consecravit, quæ omnia in sacro gazophyla-
 cio etiamnum asservantur. Atque hoc illud
 templum est, quod hodie dum eminet, ex per-
 politis lapidibus conditum, nativo saxe artifi-
 ciösè excavato incumbens, & arcuatō aper-
 tum tectō, quod decem prægrandibus colum-
 nis innititur. Longum foret miracula istic
 patrata recensere; illud tamen non omitten-
 dum, quo anno 1529. Turcæ per vastatam
 irruptione repentina provinciam, illuc usque
 penetrantes, ut congregatas inibi gazas diri-
 perent, partim cæcitatem, partim aliter divini-
 tus puniti recesserunt, dum interim corona
 splendida in argumentum Cœlestis tutelæ
 Templi fastigium ambiret. Assumpti quoque
 operis brevitas non patitur, sumptuosa munera
 ad calculum revocare, quibus larga plu-
 tium Principum, ac Cæsarum Augustissimo-
 rum pietas hujus Sacrarij thesaurum tot anno-
 rum decursu locupletavit.

CILEIA.

Cileia, vel Cilia, Plinio (q) Celeia, Ptolomeo (r) Celia vulgo Cilly antiquissima Inferioris Styriæ urbs ad amnem Saanam non multò post Savo influentem sita à præcitatibus authoribus Norico adscribitur. Hinc inferre necesse est, exiguam Styriæ partem ad Pannoniam olim pertinuisse, cum non adeò magnum terræ spatium inter Civitatem hanc, & Ortiva Provinciæ confinia interjaceat. Non desunt tamen scriptores, sed recentiores, qui veteri eam Pannoniæ adjudicent, quorum opinio priori quidem non repugnat, si ad diversa tempora referatur. Palam etenim est Provinciarum limites longo annorum decursu belli, aut contractus alicujus occasione, vel aliò simili modō sèpiùs permutari. In lapideis monumentis apud Velsrum (s) Claudiæ Claudiæ cognomine insignitur à Claudio Cæsare, Caligulae successore, probabiliter desumpto, prout suadent aliarum urbium cognomina ab Imperatoribus plerumque derivata. Subjungit ibidem Velsrus plurima marinora urbem istani municipium appellare, unicum verò à Panvinio adductum Colonizæ titulum eidem attribuere. Quidquid de hoc sit, non tam collata à Romanis dignitas, quam S. Maximilianus Laureacensis Episcopus, tum

na..

(q) Lib. 3. c. 22. (r) Lib. 2. c. 13. (s) In Monum. peregr.

natalibus suis, tum gloriosâ morte eandem illustravit. Anno siquidem 284., uti Schönleben autumat, vel 288., uti Megisero placet, Catholicæ fidei propagandas causâ huc reversus, & ab Eulasio Praefecto captus, postquam thura Marti adolere detrectâsset, capite plexus è terrestri patria ad Cælestem invictus Martyr evolavit. Corpus verò à Christianis tumulo illatum eo loci, quo Martyrio affetus fuerat, videlicet extra urbem, ubi postmodum Ecclesia ejus nomini erecta etiamnum perseverat. Indè verò à S. Ruperto Salisburgensi Antistite Laureacum translatum est; hinc denum ab Henrico II. Imperatore Passavium, ubi in Cathedrali Basilica honorifice conservatur. Ex veteri traditione præterea habetur, ubi recisum sancti caput decidit, aquæ fontem profiliisse, qui hodiéque superstes morbis medetur. Episcopali quoque sede Cileiam olim ab ipso ferè Christianæ Ecclesiæ initio fuisse decoratam, author est memoratus Schönleben; (t) modò autem Parochia Aquilejensi Patriarchæ subjecta solummodò extat, cui subinde Archidiaconatus annexitur. Eversam dein per Barbaros urbem primus instaurâsse fertur sub annum 850. quidam Bruno, vel Brino, è Moravia expulsus, qui à Ludovico Bojorum Duce clientela beneficium agri non modici ad Savum, & Saanam amnem extensi ea tempestate obti-

inuerat ; quod territorium Comitatūs titulō
 postea donatum narrat Megiserus (u) anno
 nimirum 1339., quo Ludovicus Bavarus Ger-
 maniae Rex Monachij degens Fridericum à
 Sanneck ejus loci Comitem creavit. Hujus
 successorum seriem , historiamque idem au-
 thor usque ad Udalricum contexuit, qui anno
 1457. cùm implacabili odio in Corvinam fa-
 miliam , Ladislauum scilicet , & Mathiam ,
 Joannis Hunniadis Superiori anno defuncti fi-
 lios flagraret , ad sacerdotum suum Georgium
 Serviæ Despotam litteras dedit , spondens se ,
 quamprimum Albam Græcam cum Ladislao
 Hungariæ Rege appulisset , duos illi globulos
 pro Iusu missurum , quibus duo Corvinorum
 capita veluti sub ænigmate innuebat. Inter-
 ceptis à Ladislai Corvini famulo litteris , Do-
 minoque traditis , hic gravissimè indignatus ,
 D. Martini festo , dum Rex sacris interesset ,
 Comiti à Procerum cætu evocato obvius , lit-
 teras ostentat , ac proditorem inclamat ; tum
 Comes arreptō gladiō objectam ictui manu
 simul & caput Ladislai vulnere perstringit , qui
 eductō & ipse gladiō loricā tectum frustra per-
 cutit ; sed Hungari milites ad clamorem ex-
 citi , strenuè oblustantem Comitem , confe-
 cère. Cujus audita cæde Fridericus IV. Im-
 perator , cùm nullam Udalricus prolem reli-
 quisset , Cilejam profectus , totum ejus Comi-
 satum , ex veteri quadam conventione sibi de-
 bī-

bitum occupavit, Styrixque adjunxit. In urbe memorabile etiam est Minorum Cœnobium, in cuius crypta Ciliensium Comitum cineres conduntur. Urbi edita imminet Arx, quam Ober-Cilly vulgus nominat. Cæterum multa ibi veterum monstrantur monumenta; eruta quoque Romanorum numismata, & ingentis molis reperta cadavera, non dubia venerandæ antiquitatis vestigia. Demum addenda ea victoria est, qua Georgius ab Herberstein Turcas Cileiam usque progressos anno 1492. fortiter abegit.

EHRNHAUSEN.

ARX & oppidum hujus nominis, quod Ædem Honoris exprimit, sex infra Græcium milliaribus, ortum versus, haud procul à Sulmonis ostio, dextrum Muræ litus occupat. In supremo montis cacumine, castrum suis munitum turribus, in latere Mausoleum eminet, illustrium ævo superiore belliducum Ruperti, & Wolfgangi, Eggenbergicæ stirpis monumentum. Primus quidem in obsidione Bonnensi sub Duce Bavarо rei tormentatrix prefectum, dein sub Rege Hispaniæ in bello Belgico annis septemdecim Legionis Pedestris Tribunum, exinde sub Cæsare in regno Sclavoniæ Germani militis adversus Barbaros in pugna & victoria Sisciens ductorem, demum Viennæ supremum armorum Præfectum egerat; unde laboribus in itisque fes-

sus, in patriam redux, DEO, DEIparæ, Di-
vóque Ruperto, cujus festâ die Petriniam ex-
Pugnaverat, prædictam ædem in sacrarium,
sibi verò, suæque familiæ posteris castra secu-
turis, in sepulchrum condidit, & Anno 1611.
eiusdem castrî, & sepulchri hæredem, Wolfgan-
gum patruellem reliquit. Hic etenim
quoque post amissam in bello Turcico tibiam,
cui ligneam substituit, castrensem Tribunum,
dein verò totius Croatiae, & Illyridis mariti-
mæ Carolostadij militarem Præfectum egit;
sed unico tantum anno superstes Ruperto vi-
xit.

EISENARTZ, ET VORDERNBERG.

Eisenärtz vulgare nomen est ingentis op-
pidi, quod 10. circiter milliaribus ver-
sus superiorem Austria inter præruptos, al-
tissimosque montes Græciō recedit. Famo-
sum illud reddunt celeberrimæ ferri fodinæ,
quæ plurimis regionibus necessarium hoc me-
tallum subministrant. Inventæ eæ sunt anno
à partu Virginis 712., & quamvis jani per
mille ferme annos indefesso labore effodian-
tur, nullum tamen pati videntur defectum,
cùm uberem semper materiam, aut rursus pa-
riant, aut provida distributione posteris re-
servent. Cælestis sanè benedictionis non le-
væ argumentum videtur mira DEIparæ icon,
quæ

que anno 1668., dum ferrea gleba in binas partes fortuitò sinderetur, sola naturæ vi utri- que impressa comparuit, atque ad Augustissimum Leopoldum delata, gazophylacij pre- tium adauxit. Innumera ibi sudat operarum caterva; nam primò lapides ferrò prægnan- tes ex dura rupe exciduntur, ex his dein fer- rum potenti igne liquatum in quasdam infor- mes confluit massas, quæ Vulcanis denuò commissæ, & novo igne excoctæ humanis usi- bus ultimò adaptantur. Multi officiales to- tum opus dirigunt, quibus præest Cæsareus Præfectus, Cammergraß vulgo appellatus. Emicat in oppido Parochiale Templum soli- dō murō adinstar Arcis circumbatum, & D. Oswaldo sacrum, post cuius festum splendidæ ibidem nundinæ celebrantur. In altero au- tem montis latere plures itidem patent ca- vernæ, ex quibus Vordernbergenses Oppi- dani ferrum eadem contentione extrahunt, variisque Provinciis similiter dispensant.

FERNICUM.

Fernicum vulgo Ferniz pagus est, sesqui millari infra Græcium lævo Murz litora insidens, cui celebritatem adstruit Thauma- turga DEI paræ statua, quæ annis abhinc pro- pè quingentis ex Hausmanstettensi templo, tunc Parochiali, divinitus profuga intra ve- pres istic consedit, tærque illuc relata, ad de- lectam sibi hanc stationem totidem vicibus ju-

gi miraculo remeavit. Hoc permoti Barones à Pranck, facellum ejusdem cultui extruxerant. Verum Imperator Fridericus III. cognomento Pulcher magnificentum illi Tempulum, quod anathematibus refertū hodie spectatur, crebrisque supplicationibus constanter colitur, anno 1314. à fundamentis substituit. Si quis plura nōsse cupiat, *Adlatum Marianum*, à nostrae Societatis P. Guilielmo Gumpenberg, typis editum consulat.

FRIDAVIA.

HAUD magni ambitū civitas, attamen muris turribusque munita, dexteram Dravī ripam insidet, ubi fluminis alveus Styriam à vicina Croatiā, seu potius Sclavoniā separat. Præter parochialem ecclesiam, tempulum quoque ac monasterium Minores Observantes habent, quod illis Jacobus Zeckel, Siculus ab Istuantio appellatus, loci dynasta, Anno 1495. condidit. Hic sub Mathia Corvino Hungariæ Rege armis inclytus Petoviensi & Rackersburgensi urbi præfuit, sed illo è viuis sublato utramque Maximiliano I. tradidit, & inrer Provinciæ nobiles receptus, sibi posterisque lares in Styria fixit.

FRIDBERGA.

FRidberga vulgo Fridberg tenuis vicus est ab Hungariæ limite non procul distans, consuetis tamen Civitatuni privilegiis donatus,

tus, quem Lazius (x) Friburgum nominat, & vetustissimam Styriæ urbem arbitratur, dum eandem censet cum ea, quæ in Codice Præfecturarum Romanarum Cardobianca inscribitur, eō potissimum persuasus argumentō, quod Fridberga anni Pinck vel Pynck adjectat, quasi præsens hoc nomen ex decurtata priori voce Bianca derivaretur. Parochiali ecclesiae, ex Voraviensi, eoque celeberrimo Divi Augustini collegio, Regulares Canonici præsunt.

FURSTENFELDA.

Fürstenfelda vulgò Fürstenfeld urbs est ad amnum Lauffniz, & Veistriz concursum sita ipsos Hungariæ fines penè attingens. Lazius citatus eam esse somniat, cuius sub Aquarum nomine in suo Itinerario Antoninus mentionit, sed has, utpote Vindobonæ propinquas, Austriacæ Badenæ melius alij applicant. Tolerabilius conjicere videtur Cluverius, cum eandem alteri loco substituit, quem idem Antoninus Sallam vocat, atque inter Sabariam & Haclitanum, quod Rakelspурgo convenit, ferè medium collocat: id ipsum quoque probabiliter intellexit Ptolomæus, (y) Salam inter superioris Pannoniæ Urbes annumerans. Hac porro in urbe, præter tempulum primarium, quod Equites Melitenses

per suos facellanos administrant, est quoque Eremitarum conventualium S. Augustini monasterium, à Rudolpho IV. Austriaco, datis Anno 1362. Sabbato ante festum S. Nicolai, seu die 3. Decembris Viennæ tabulis eratum.

GESSACUS.

Gessaces, Montis nomen est, à Trebellio Pollione in Gallieni Imperatoris Vita memorati, quem Lazius Gessacum appellans eundem facit cum Styriaco vulgo Scheckel dicto, & aditos prope Græcium montes proceritate sua longè superante; sed Trebellium ipsum inspiciamus ita scribentem. *Gallienus interea vix excitatus publicis malis Gotthis vagantibus per Illyricum occurrit: & fortius plurimos interemit. Quod comperiū Scythæ facta caragine per montem Geffacem fugere sunt conati.* Omnes inde Scythes Martianus variâ bellorum fortunâ agitavit &c. Ex his itaque infert Lazius Gessacum nusquam aptius reperiri, quam in monte Scheckel, quod ut rudioribus facilius persuadeat, Illyrici loco Dalmatiam, multò minus patentem, subrogat, fugamque in Pannonias factam subjugit. Verūm neque his fulcris opinioni suæ undique vacillanti satis consuluit; valde siquidem hallucinatur, dum veluti indubitatum prætendit, nullum aliud, quam per Styriam ex Dalmatia in Pannonias iter eligi potuit.

tuisse. Certè ex Ptolomæo alias allegato perspicuum est , montem Scheckel vetere Cetio includi , Pannoniam à Norico , non à Dalmatia dirimenti. Ergóne (obstrepent non nulli) in dubium revocatur , celeberrimum montem Scheckel Latinorum Gessacum esse , quod tamen jam per omnium ora , & calamos impunè volitat ? Omnino : gravius quippe mihi accideret genuinæ veritatis , quam popularis auræ detrimentum. Porro citius apud me fidem inveniet Lazius , dum enarrat multa Romanæ vetustatis monumenta in hujus montis dorso , ejusque vicinia offendit , quibus tamen perscrutandis diutiùs immorari non lubet.

GONNOVICUM.

GOnnovicum vulgò Gonnowiz Inferioris Styriæ Oppidum 15. milliaribus Meridiem versùs Græciō distat ; in cujus Arce Meriano teste (z) rarus scaturit fons , qui in oppidum defluens nunquam crescit , aut minuitur , sed eandem semper aquarum mensuram defert ; siveiente hyeme calidus , ardente è contra Syrio frigescens. Memorant præterea historiæ anno 1473. Turcas hucusque penetrâsse ; anno verò 1515. Rusticorum seditionem , quæ & Carinthiam , & Salisburgensem ditionem tumultibus implevit , ortum suum indè duxisse.

GOSENSE

Cœnobium.

Gössense sacrarum Virginum D. Benedicti regulam seftantium Cœnobium, opulentia, ædificij splendore, atque antiquitate percelebre, in Superiori Styria, vix uno ante Leobium lapide, dextro Muræ litori in- cumbit. Ejus natales ex manuscriptis ipsius Monasterij documentis desumptos sic ferè describit Schönleben: (a) sub annum scilicet 996. B. Adula Batwini Dynastæ vidua in pa- terno quodam Castro Comitatûs Leobiensis unâ cum filia Kunigunde divinis rebus inten- ta, cùm aliquando propinquum collem de more concendisset, internum DEI monitum percepit, quo ad opes suas divino cultui per alicujus Cœnobij fundationem impendendas stimulabatur; illique confessim obtempe- trans detractum è capite velum auræ commit- tit, ut ex ejus casu statuti operis locum desi- gnaret: delapsum ad Muram velum supra fluentes aquas hærebat immotum, quod illa pro cælesti nutu interpretata novô alveô effos- sô fluvium avertit, ibique Monasterij fabri- cam inchoavit, quod Natæ Gæli Reginæ, Di- vóque Andreæ Apostolo dicari voluit. Ab- solutô ædificiô Beata Fundatrix nobiles colle- git puellas, quas ad religiosam vitam effor- mayit, & filiæ suæ Kunigundi tanquam primæ

lo-

(a) *Annal. Carn. Parte 3.*

loci Abbatissæ subjecit, ut reliquis vitæ diebus exactius DEO vacaret, post obitum in eodem Templo tumulata, ubi & memoratum superius velum ad perpetuam prodigijs memoriam adhuc hodie aſſervatur. Hæc ille scriptor recenset. Verum Divus Imperator Henricus II. in augustali membranâ ita loquitur: *Notum sit omnibus Sanctæ DEI Ecclesiæ, nostrisque fidelibus: qualiter quidam Juvenensis Ecclesiæ Diaconus, consanguineus noster, atque capellanus, nomine Aribon, quodam monasterium puellarum ad regulam Sancti Benedicti, in honorem verò Sanctæ DEI Genitricis Mariae, sanctique Andreæ Apostoli, quod mater sua, Adola nomine, patre suo Aribone, quamvis à paralyſi exlege, tamen, quantum potuit, annuente & consentiente incepit, in loco, nomine Gossia, in comitatu Liubena, de prædio suo fundavit, atque construxit, & pro sua facultate, DEO aspirante, perfectum, in nostram potestatem libertandi gratia tradidit, quatenus post acceptam nostræ immunitatis chartam, prima ejusdem loci Abbatissa Chunegundis, soror præfetti Aribonis, eiique succēſſa, jus legitimum eligendi advocatos obtineat.* Hinc itaque patet: Parthenonis hujus, à matre *Adula*, & quidem annuente *Aribone* marito, solum inchoati, Fundatorem fuisse utriusque filium *Aribonem*, qui postea Moguntinus Archiepiscopus, amplioribus idem asceterium bonis cumulavit, cui etiam

complures fundos idem sanctus Imperator adjecit. Kunigundi vitâ functæ subrogata est in Abbatissæ munere Adelheidis pietate illustris, cuius cor, tumulô instauratiois ergo post aliquot sœcula referatô, in corallium transiisse intra reliqui corporis cineres reper-tum est, & Cœsari Maximiliano transmissum. At Veronica de Rottmanstorff, quinta supra vicesimam ejusdem loci antistita, relicto ad functiones parœciales Divi Andreæ templo, novam, eamque grandibus columnis sufful-tam Basilicam inchoavit, sed Margarita de Mindorff, quæ successerat, Anno 1515. absolvit, & in eandem à Leonardo Episcopo La-vantino Divæ Partheno-martyri Margaritæ consecratam, virginem chorum transtulit. Istud hujus Asceterij palmare decus, quod in fædâ illâ morum licentiâ, quâ salacissimum Lutheri Evangelium quoque Styriam conta-minaverat, nulla Vestalium ad sacrilegas è claustro nuptias prosiluerit, sed omnes persti-terint illibatæ. Etiamnum ita floret, ut me-ritò sanctitatis, & puritatis Angelicæ domici-lium possit appellari. Subjacet huic Cœ-nobio vetustum Sacellum, quod in via Leo-bium ducente, supra Muræ scopulum obviat, à S. Leone IX. Summo Pontifice, tunc Episco-po Tullensi, D. Oswaldo, aliisque Cœlitibus est dedicatum.

GYRIUM.

Gyrium, vulgò Geyrach, in comitatu Ci-
liensi haud procul à Savi, & Saanæ con-
fluentibus, in profunda penitus eremo situm,
altera post Seizensem Styriæ ducatus Cartusia
fuit, quam Henricus I. Gurcensis Episcopus
fundavit. Cùm verò idem Anno 1174. vivis
excessisset, à Successoribus quidem aliis Reli-
giosis tradita, sed à Leopoldo Gloriofo, Au-
striæ Styriaque Duce, Anno 1209. pristinis
Anachoretis reddita, & insuper novâ Basilicâ,
Divi Mauritij Thebaeorum Martyrum Princi-
pis honori, per Eckebertum Bambergensem
Episcopum Anno 1212. consecratâ, ampli-
simisque fundis, & censibus aucta est, ut huic
merito adscribatur titulus Fundatoris. Hanc
porro solitudinem præ cæteris inquilinis illu-
strem reddidit Beatus Odo Novariensis, qui
aut primus, aut inter primos illud Asceterium
rexit; dein verò Taliacotij in Marca Italæ
provincia, Anno 1239. tot, tantisque prodi-
giis inclytus decepsit, ut Gregorius IX. Ponti-
fex Maximus, proximò statim anno, quo cor-
pus incorruptum translatum erat, peculiariter
in vitam, & miracula ejusdem inquire jusserit.
Illam breviter Bollandus in Actis Sanctorum
ad diem 14. Januarij recenset; hæc integro
eoque grandi volumine referri vix possent.
Complures tum insigni virtute, tum eximiâ
doctrinâ inclytos successores habuit, quamdiu

à pestifero Lutheri dogmate Styria immunis persistit. Postquam etenim detelictas a secessis mortuis cellas nemo amplius expetiit, desertum propè cænobium à Principe receptum, & demum Archi-Ducali Convictorum Societatis Jesu Collegio, ad alendos in studijs altioribus clericos, qui propterea Gyrienses alumni nuncupantur, annuente Summo Pontifice est adscriptum.

HARTBERGA.

Hartbergam, vulgò Hartberg Inferioris Styriæ Civitatem ad Hungariæ confinia sitam Merianus (b) ex Lazio eandem censet cum antiqua Urbe Heorte, cuius mentio apud Strabonem (c) de Scordiscis populis Istri ac colis differentem his verbis habetur. *Quidam etiam Insulas habebant Scordisci; eò autem magnitudinis aucti sunt, ut usque ad Illyricos, & Pæonices, & Thracios proiecti sint terminos. Complures igitur jacentes in illo Insulas occupavere. Ipsi etiam Urbes babuere Heortem, & Capedunum.* Ex quibus judicet eruditus lector, utrum Lazianæ sententiæ subscribendum sit, ego enim hoc unum adjiciam, Lazio videlicet Heortis nomini vocem *Mons* addere, cujus tamen nullum in Strabone vestigium; eo opinor consilio, ut Hartbergæ vocabulum, cuius secunda pars montem Germanis sonat, inde profluxisse validius sua-

(b) *Topog. Styr.* (c) *Lib. 7.*

suaderet. Ceterum isthinc olim Romani militis, ad Pannoniæ superioris, Noricique luentes excubantis stativa fuisse, non modo superstites è quadro saxo turres, sed etiam cenotaphia, aliâve mormora, numique veteres pa- sim effossi docent. Parœciale templum ex quadro pariter saxo, geminisque ejusdem structuræ turribus à fronte, & dorso munitum, Divi Martini, Turonensis Episcopi, cui Sabaria haud procul dissita solum natale dederat, cultui dedicatum est. Extra urbis portam, quæ Græcensis dicitur, proximum fossæ monasterium Capucini sub præcedentis sœculi umbilicum incolere cœperunt. Reliquam minoris nominis sacraria silentio præterimus.

JUDENBURGUM.

Judenburgum vulgò Judenburg, Styriæ Superioris Urbs, quæ Metropolis ejusdem apud Merianum audit, elevato ad præterfluentem Muram clivo insitit, unde sat amplam despicit planitiem, inter editos undique montes, quovis anni mense, nivibus albentes secus fluvium extensam. Hinc Græciō 14. milliaribus distat, si per aquam; 8. verò, si per Alpes iter suscipiatur. Urbem haec antiquum Vitunum esse à Ptolomæo (d) Plinio, (e) Antonino, & Peutingerianâ Tabulâ notatum conjicit Bilibaldus Pirkeimerus in Germaniæ explicatione apud Schardium excusa:

ve-

(d) *Li.* 4. c. 14, (e) *Li.* 3. c. 24.

verum non consonant itinerum intervalla; longius enim Aquileia Judenburgum abest, quam absit in Antonini Itinerario Virunum. Alter proinde divinat Schönleben, (f) & ab Iduno, quod Ptolomaeus in Norico recenset, Judenburgum derivat, cui utcunque faveat nominis affinitas, & respectus ad Virunum, seu Frisacum in eo consistens, quod Idunum Boreæ magis ab eo Geographo admoveatur, & non nisi unica inter has duas Civitas colloetur; quæ tamen omnia sententiam hanc oppidò dubiam adhuc relinquunt. Illustrior interea, & antiquior ea origo videtur, quam ut à Judæis deducatur, ac si illi hanc Urbem prius inhabitassent, aut planè condidissent, quod ex sola vulgi traditione constat, fabulas sepius, quam historias referente. Neque huic multum suffragantur Civica insignia, quæ teste præcitato Schönleben Judæum representant; eorum siquidem inventio recentioris ævi est, ac post vocabuli mutationem instituta. Unum Urbis latus ferè occupat Cæsar's aula, paucis abhinc annis renovata, cui proximi sunt cum suo Cœnobio, per Divum Joannem Capistranum, aliquando ejus inquilinus nobilitato, Minores Observantes, qui Conventualibus, circiter ab anno 1240. ibidem degentibus successerant. Præter istud & Parochiale templum, cui Decanus præst, aliud extat Divo Augustino sacrum,

quod

(f) Car, An. app. q. s. §. 3.

quod cum annexo Eremitarum Conventu-
lium monasterio Rudolphus IV. Austriacus,
anno 1364. datis Viennæ feriâ III. Paschatis,
videlicet die 26. Martij litteris fundavit; sed
Balthasar Comes à Thonhausen, ære soluto
utrumque redemit, & anno 1611. Societati
Iesu contulit, cui pientissima ejusdem con-
fors Ursula, nata de Hollenegg, quoque ter-
tiæ Probationis domum addidit. Extra po-
mæria autem in ea declivitate, quæ Muræ ad-
jacet, Moniales degunt D. Claræ institutum
prohtentes, quarum Monasterium superflite
in terris fundatrice sanctissima, ideoque ante
annum 1253. inchoatum, non quidem à sitùs
amœnitate, sed innocentia vitæ Paradisus ap-
pellatur.

KAPFENBERGA.

Kapfenberga, vel uti Gerardus de Ro^o
scribit, Kappenberga, vulgo Kapfen-
berg Oppidum est cum editori Arce 7. mil-
liaribus Græciō dissitum, quod Lazius, anti-
quitates undique ad nauicam usque corradens
Scordischorum Capedunum putat, sed qua ve-
ritatis specie, ex supra allato Strabonis textu
eruditis colligere licebit. Inclaruit hoc Op-
pidum ab acrem pugnam anno 1291. in ejus
pomariis consertam inter Fridericum Stuben-
bergicum, & Hermannum Landenbergicum,
qui Alberti Austriaci postea Imperatoris par-
tes tuitus, hostem diu strenue dimicantem, &

tandem à propriis militibus desertum ad sui dditionem coëgit. Hinc porro per vallem Martiam, ejusdémque vicos, & oppida, singulis ab invicem milliaribus dissipata; videlicet Muerzhoffen, Chindberg, Krieglach, Langewang, Muerzuschlag, & Spitäll, ad usque supremum Cetij montis jugum, Semering appellatum, regia in Austria via porrigitur, quæ omnia singillatim exponere, libelli præsentis angustiæ non patiuntur.

KNITTELFELDA.

KNittelfelda, vulgò Knittelfeld, Civitas est Superioris Styriæ inter Judenburgum, à quo duobus, & Leobium, à quo 4. milliari bus recedit, ad Muræ, & Undrimæ confluentes sita. Parochiale idque vetustissimum templum Divo Joanni Baptistæ sacrum, cathedralis Ecclesiæ Seccoviensis Regulares Canonici, indulta per Fridericum Episcopum, Anno 1311. facultate administrant, ubi Chnuttelveld appellatur. Falluntur egregiè, qui urbem modernam, ex amplissima quondam civitate, seu Metallina, seu Campipodium appellatâ, superesse putant; cùm neutrum nomen apud Geographos, aut Historicos reperiatur. Melius divinabit, qui eadem olim Adundrimam, ab amne vicino dictam, ibidémque templum à Modesto Episcopo, quem sanctus Virgilius ad imbuendos fide Christiana Carinthos miserat, primitus eretum,

etum, aut consecratum fuisse existimaverit: Sic etenim in vetere fragmento, de conversione Karantanorum, apud Bollandum (g) & Schönleben (h) per laudatum Episcopum, ejusque locios habetur: *Qui venientes Karantanis dedicaverunt ibi ecclesiam Virginis Gloriosae in Liburnia (legendum Tiburnia) civitate, & aliam suam Adundrina (fors Adundrima) civitate, & in aliis quamplurimis locis.*

LAMBERTINUM *Cœnobium.*

Lambertinum, seu S. Lamberti Monasterium, ædificij amplitudine, ac splendore sanè magnificentum ad Carinthiæ limites, quām proximè accedit, atque in edito quidem situ, sed altioribus montium jugis coronato à Religiosa Divi Benedicti familia in septimum jam seculum inhabitatur. Originem illius fundator ipse met in suo diplomate sic recenset: *Ego Heinrieus divinâ cooperante gratiâ Karinthiæ Dux, per præsentia scripta ad successorum memoriam transmittere curavi, qualiter Abbatiam sancti Lamberti, quæ sita est in Episcopatu Salzburgensi, & in comitatu Frisacensi, ultra aquam Theodosiam, rebus propriis ex paterna bareditate præditam ordinavi. Prædi-
am igitur Abbatiam pater meus Marquar-*

dus

(g) Boll. in vita S. Domitiani die s. Feb. (h)

Appar. Carn. cap. 5. §. 8. nūm. 7.

dus pro remedio animæ suæ, nec non & dilecta
 conjugis, matris meæ, videlicet Leutpurge, &
 omnium parentum suorum, in solo proprietatis
 suæ, ædificare capit. Et quia ejus devotionis
 propositum morte præveniente non potuit con-
 summari; Ego Heinricus Dux, filius ejus con-
 summandum assumpsi. Ibi ergo ad usum fra-
 trum DEO servientium, eidem ecclesiæ in per-
 petuum babenda, de meis, sicut subscripta
 sunt, contuli; Ecclesiam videlicet Sanctæ Ma-
 rie in valle de Grazlappa sitam, à praesente
 Hartmanno Abate, cunctisque successoribus
 suis, cum omni subjectione obtinendam. Re-
 censentur exinde plures Ecclesiæ, prædia, &
 latifundia, inter quæ centum regales mansi in
 valle Avelenz, ubi nunc Cella Mariana supe-
 riùs descripta, post interjecti montis jugum ef-
 fulget. Demum hæc clausula subjungitur:
 Confirmata est autem bæc traditio apud Ma-
 guntiam in universal curia præsentia, nutu,
 & auctoritate Heinrici Imperatoris IV. Augus-
 tii, sub testimonio istorum Principum: Fride-
 rici Colon. Archiepiscopi, &c. Actum Magun-
 tiae in Christo feliciter, scriptum XVI. Kal.
 Feb. Indict. XII. Anno Incarn. Dom. MCIV. &c.
 Confirmavit quoque hoc eximia pietatis o-
 pus Conrados III. Cæsar, summique Pontifices
 amplis privilegiis cumularunt. Inter Abba-
 tes excelluere Hermanus à Truchsen, qui
 frattis sui Eberhardi II. Salisburgensis Anti-
 stitis patrocinio, insulæ honorem sibi, suisque

fuc-

successoribus obtinuit, vitâ functus anno
 1260., & Joannes Fridberger, qui ob vindica-
 tata Monasterij jura secundi fundatoris no-
 men promeretur; è vivis sublatus anno 1358.
 Porrò summopere memorabile, si ita res se-
 habet, atque honorificum est, quod Bucelinus
 suis commentariis mandavit, quôdque justis
 de causis ejusdem authoris verbis, prout se-
 quitor, exponam. Fuit D Lamberti Cœ-
 nobium absque controversia Archiducatus
 quondam Carinthiaæ Archisterium à Romanis
 Pontificibus, Casaribus, Ducibus, & Princi-
 bus, ob singularem religionem summo in pretio
 habitum, & certatim ornatum, ac locupleta-
 tum, ita ut maximetiā Princes Cœnobij
 tanti feudatarij essent, uti ex archivo illie ipsi
 exscriptimus. Ita in feudum accepit ab Hen-
 rico Abate S. Lamberti serenissimus Archidux
 Ernestus Leobij in præsentia Georgij Abbatis
 Admoniensis, &c. Dominium, & munitionem
 Tirnstein prope Frisacum, munitionem
 Nevvenmarck prope Graßlupp, Judenburgen-
 sem Civitatem, munitionem Eppenstein, oppi-
 dum Voitsperg, munitionem Bruck, &c. simi-
 liter A. C. 1389. Albertus Archidux præsente
 Hugone Comite Montfortio, &c. prædicta Do-
 minia, Castra, atque oppida in feudum accepit
 à Rudolpho de Liechtenegg Abate, (qui etiam
 Herr und Fürst appellatur) ut in pergamo-
 no fidelissime omnia, atque autenticè consi-
 gnata reperimus, atque descripsimus, Ha-
 gte.

etenus Bucelinus, his subjungens 50. nobilium familiarum nomina, quæ aliquando seu da à splendidissimo hoc Monasterio acceptarunt.

LANCOVICIUM.

Castrum hujus nominis, quatuor Græcio milliaribus in occasum recedit, infra quod Fridericus Imperator Pacificus Templum Marianum, & cœnobium Minoribus S. Francisci regulam Observantibus, Anno 1455. erexit. Munificæ huic pietati occasionem præbuit sacra DÆparæ statua, multis magnisque gratiis, & prodigiis inclyta, quæ peculiari libro, sub titulo Panaceæ Marianæ typis vulgato recensentur. Hinc frequentissima supplicantium agmina, etiam ex distis procul oppidis, & urbibus illuc confluunt, annisque singulis ex hac eadem Styriæ metropoli magno numero devoti Mariæ clientes illic procedunt.

LEIBNICIUM.

Leibnicum vulgo Leibniz, Sulmone fluvio irriguum, quatuor milliaribus Græciò in Austrum abscedit. Munitiores inter Styriæ Urbes quondam florebat, utpote quod anno 1481. acrem Hungarorum obsidionem, qua à Mathia Regis Archistratego, cui nomen Maubitsch, cingebatur, diu elusit, donec ob annonæ defectum sæviente intus fame

Civis quidam Christophorus Hammer nuncupatus, eā adactus ad obsidenies profugerit, quibus cūm abditum, minusque custoditum ad urbem ingressum prodiisset, eorum aliqui per hunc clam irrepentes propiorem portam invadunt, toto interim exercitu ad assultum advolante; quare capta ab Hungaris Civitas, fædèque vastata, non nisi inter oppida ab eo ferè tempore recensetur. Urbem Romanam, & verosimiliter Muroclam inibi stetisse, non solum moneta passim effossa, sed etiam totus ager, inter Sulmonis, & Muræ confluentes situs, qui cryptis subterraneis in varios tumulos assurgentibus incubit, abunde suadet. Quin imò turris maxima Leibnicensis castri, è quadrato lapide, Romanis epitaphiis, aliisque inscriptionibus quondam conspicuo, sed per rudes opifices pessimè mutilato assurgit. Hac in arce Celsissimi Principes, & Episcopi Seccovienses residere consueverunt. Parœciali templo, quod Divum Jacobum Apostolum tutelarem habet, Decanus præsidet. Præter istum etiam PP. Capucini ecclesiam, & monasterium obtinent.

LEOBUM.

Leobum vulgo Leoben vetusta Styriæ Superioris Civitas, quam Mura post brevem flexum secundò alluit, octo milliaribus, si secus flumen, 6. verò, si per montes calculus inecatur, Græcij abest, Septentrioni ma-

gis, quam Occidenti propinqua. Nobilis
 huic olim suberat Comitatus, prout ex Göss-
 ensis Parthenonis diplomate superius allega-
 to liquet. Quin imò antiquior membrana
 in eodem Archivo supereft, ex quā hæc bre-
 viter allegasse sufficiat: *Ludovicus Divina
 favente Gratia Rex, &c. Ottachari, dilecti no-
 strī comitis filio, cui Arpo nomen, in valle, quæ
 dicitur Leubna, in Dominio ejusdem Ottachar-
 ri, huebas viginti, cum rebus omnibus ad eas-
 dem huebas pertinentibus perpetualiter in pro-
 prium donavimus &c.* Datum Anno Incarn.
Dom. Nonagesimo quarto, Indict. septima,
Anno Regni nostri quinto. Hic itaque Co-
 mes Leobiensis Ottocarus, seu Ottacharus,
 Arponis, sive Aribonis illius parens fuit, cujus
 filius Aribus, dein Moguntinus Archiepisco-
 pus, Parthenonem Gössensem fundavit, prout
 ex diplomate ibidem recitato patet, dum
 ejusdem cœnobij primordia recenseremus.
 Civitas olim eo in loco steterat, in quo etiam
 num Parœcialis Ecclesia, Divo Jacobo, Ma-
 gno Apostolo, dedicata, extra pomaria per-
 stat: Hæc siquidem à vicino monte, ad Muræ
 sibimetipſi, velut Mæandri, occurrentis pen-
 insulam, anno supra millesimum, & ducentesim-
 um sexagesimo octavo sunt translata. Ex-
 tum versus Septentrionem angulum in
 Orientali fluminis ripa Monasterium Ordi-
 nis Prædicatorum, cum annexa S. Floriani
 Martyris ecclesia occupat, quod anno 1280.

suas

suos natales habuit. In opposito versus occidentem litore Collegium Societatis Iesu eminet, quod sua primordia Ferdinandi II, ædes venatorias, & Joannis Hoffmanni, Abbatis Admontensis, vicinum D. Joannis Baptiste facellum, adjectis in novam fabricam decem Rhenensium millibus, ultrò cedentis munificentiae, ab anno 1613. debet. Postquam igitur anno 1621. etiam litteraria palestra est aperta, Ferdinandus II. Imperator, anno proximo censum perpetuum, augustâ liberalitate assignavit. Hinc dirutis veteribus partinī, novum collegium, Anno 1624. assurrexit. Demum quoque novum templum, eleganti structurâ, Anno 1667. absolutum, die 28. Septembris per Maximilianum Gandolphum ex comitibus de Khuenburg, Principem & Episcopum Seccoviensem Magno Indianum Apostolo dedicatum est, qui dein Metropolita, singulari pietate, ac munificentia summum altare addidit. Extra urbem templo & monasterium PP. Capucini habent.

LUETENBERGA.

Luetenbergam vulgè Luetenberg percepisse Inferioris Styriæ oppidum Murau fluvius non procul ab Hungariæ confiniis irrigat, eique famam conciliat nobilissimum vi-

num, quod totius Provinciæ, & facile totius Germaniæ fortissimum ex circumscriptis collibus legitur, ita, ut quidam scribere non ambigant, suâ illud præstantiâ Creticum emulari.

S. MARIAE CONSOLATRICIS

Templum, & Monasterium.

ET si recentissimum, attamen celeberrimum est DEIparæ Consolatrix, vulgo *Maria Trost*, unicâ solùm ab urbe Græcensi versùs orientem leucâ diffitum templum, & monasterium, quod sancti Pauli Eremitæ primi Religiosus Ordo possidet, & ingenti fructu pietatis Marianæ colit. Gratiosa ibidem Augustæ cælitum Reginæ statua, è ligno sculpta, suam olim in cistercio Runensi stationem habuit, ex quo eandem in prædium suum monzanum Baro Wölferstorhus Abbe annuente transtulit, angustaque, utpote privato solùm facello clausam coluit. Postquam verò suis clientibus, illuc affluentibus, se Gratiarum Mater inclinante superiore saeculo per multa prodigia propitiam exhibuit, ut prædium illud in oratorium publicum verneretur, à laudatis anteà Religiosis fundus ejusdem, soluto pretio est comparatus. Nova igitur Basilica, quam utrinque monasterium claudit, est erata, cujus aræ laterales omnes è peregrino marmore perquam eleganter elaboratae, de-

corem augent. Supremum decus sacrarum dabit, in cuius ara maxima DElpara fulgebit. Tantus interim non solùm è Styria, sed vicinis etiam provinciis Mariophilotum est accursus, ut eorum epulo Eucharistico refectorum calculus, annuatim sexaginta milia transcendat.

MAHRBURGUM.

Mahrburgum Inferioris Styriæ Urbs in lœva Dravi fluminis ripa amoenò circumdatur solò, & 9. Græciò milliaribus versus Austrum removetur: pro cuius elogio miram antiquitatem farraginem congregat apud Schönleben Lazius, cohortem nimirum Marianæ degentem, cuius Tribunum sub dispositione Viri Spectabilis Dusis Provinciæ Valeriæ Ripensis Notitia Imperij recenset; Marianam à codice Romanarum Præfecturam inter Valeriæ municipia conscriptam; Jornandis Castrum Martenum Sarmatarum sedem; & quæ ipse in Ammiano Marcellino sibi fixit Marciana Castra: hæc itaque omnina licet prorsus diversa, ob nominis consonantiam, quam ille solus percipit, in unum conflat Mahrburgum. Suos olim hæc Civitas Dynastas habuit, donec Ottocarus Styriæ Marchio à Bernardo Comite eandem comparaverit. Præter parochiale templum, quod Decanus regit, suam quoque in urbe ecclesiæ Minores S. Francisci Conventuales, ab

Anno 1284. administrant. Cùm Anno 1532.
 Solimannus Turcarum Imperator armis Ca-
 rolinis territus, ex soluta obsidione Günsensi
 per Styriam fugitivus, Muram infra Græcium
 facile superâset, Mahrburgum delatus, cuius
 inquilini pontem dejecerunt, navésque om-
 nes in ripam adversam deduxerunt, urbem
 aggredi non ausus, Dravum natando superare
 coactus est, haud paucis suorum inter vorti-
 ces amissis, prout fusè Istuanius recenset.

MEHRNBERGENSE

Aſceterium.

AD Dravi ripam propè fines Carinthiæ, il-
 lustrem sub regula Divi Dominici
 parthenonem, unà cum caſtro, & oppido San-
 ctimoniales obtinent. Originem tabulæ
 fundatrices exhibent. Notum sit omnibus tam
 præsentibus quam futuris: quod ego Geisla
 (ſeu Gisela) relicta Domini Alberti de Mer-
 enberch, & filius meus Sifridus, ad honorem
 & gloriam Domini nostri JESU Christi, ejusque
 Matris Virginis glorioſe Marie, clauſtrum ſo-
 rorum degentium sub regula sancti Auguſtini
 ſecundum institutiones Fratrum Ordinis Præ-
 dicatorum, cum ecclesia in fundo noſtræ pro-
 prietatis, sub caſtro Merenberch, fundavimus
 & conſtruximus dotando ipsum clauſtrum, &c.
 Data ſunt hec Anno Domini Millesimo, du-
 centesimo, quinquagesimo primo, in die S.

Joan-

Joannis Baptiste. Hic porro Sifridus aut Sigefridus, quod Regi Ottocaro ex Carinthia per Dravum reduci, morbo impeditus non occurisset, ab æmulis perduellionis accusatus, & dein per insidias captus, ac Pragam deductus, ibidemque crudeli carnificinâ est interemptus. Cum vero sepulchrum, quo publica sub furca conditus jacebat, crebris luminalibus, innocentiae testibus resplenderet, impetratum à cognatis cadaver inde levatum, & in ecclesiam Mehrenbergensem delatum, ibidemque penes aram majorem æneo primum, dein marimoreo sarcophago clausum, miraculis coruscat. Erecta desuper lapidea effigies hanc epigraphen habet: Seifridus de Mernberg, Anno Dom. MCCLXXII, passus est.

MURÆPONTUM.

Muræpontum vulgo Bruck an der Muer, Styriæ Superioris Urbs, 6. milliaribus Græciò dissipata à Muræ fluvio, cui adjacet ponte, nomen defupsit, atque eadem à pluribus censetur cum illa, quæ in Peutingeriana Tabula ad Pontem indigitatur. Præter Parochiale Templum, cui Archidiaconus præest, bina alia adsunt. Ex his primum Minores Seraphici Ordinis Conventuales, quibus Udalricus Comes de Montfort, & Phanneberg, Anno 1301. monasterium fundaverat, Alterum vero PP. Capucini administrant.

Commendanda hic est Civium in Principem fidelitas, atque in hostes fortitudo, quam pro Alberto I. Cæsare in strenua Urbis propugnatione contra Ottonem Bavariæ Ducem, & Conradi Salisburgensem anno 1291. exhibuerunt. Propè Civitatem illabitur in Martam amnis, cui Metz nomen, postquam anicenam secuit vallem, inde Martiam dictam, & usque ad Austræ terminos pene protensam.

MURAVIA.

Muravia vulgo Murau Superioris Styriæ Civitas ad Salisburgensem ditionem accedens, à Muræ fluvio in duas partes discinditur, quæ super eum ducto ponte junguntur. De hac Cluverius (i) id sentit, quod ex Peutingeri Mappa Muræ ponto à cæteris adjudicatur, olim videlicet floruisse, & Pontis nomine ibidem indicari, hōcque ex itinerum ductu satiis inferri opinatur. At cùm ipsam Mappam, verè nobile antiquitatis cimelium, consulerim, nihil reperi, quod uni potius, quam alteri faveat sententia. Muræ tamen fluvio disputatum locum adhæsisse primum est. Civitati ex editiore loco imminet Parochiale Templum; sed adhuc altius ascendit splendida Arx vicino insidens colli, cui in adverso fluvij laterc respondent alterius Arcis rudera Ottocari Bohemiæ Regis jussu prostratae.

NEU.

(i) *Vind. & Nor. s. s.*

NEUSTIFTENSE

Templum.

Mariana hæc Basilica haud procul Petoviō dissita, Augustam DEI Genitricem, quæ expanso per Angelos pallio magnam clientūm turbam adgeniculantem protegit, cum his omnibus ex uno codēmque fæxo, per quam raro artificio elaboratam exhibet. Antiquus ejusdem cultus grasiante Lutherana hæresi propemodum extinctus, cùm Acatholici fundos, annuōsque census occupassent, iterum per Societatem JESU est instauratus. Vix etenim Collegium Leobensem inchoaverat, cùm intercedente Nuntio Apostolico Ferdinandus II. indulxit, ut illud eidem Collegio adscriberetur. Exinde fundi ære soluto redempti, cultus adeò auctus, ut hisce temporibus, potissimum è Croatia, Slavoniaque Regno, ad primariam solemnitatem, quæ festo Pentecostes proxima, etiam ultra decem supplicantum millia confluant, quæ subjectam colli Mariano planitem ad instar exercitūs occupant.

NOVOMONTANUM

Cœnobium.

NOvi montis Cisterciensis Ordinis asceticum, vulgò Neuberg dictum, inferiori

Austriæ propè contiguum, inter Styriæ superioris alpes, ad Muerziæ, sive Martiæ fluminis primum, cùmque tenuem alveum, ab Ottone Austriaco, Alberti I. Cæsaris filio, annuente Friderico Pulchro, fratre Augusto, Anno 1327. est inchoatum. Cùm etenim ex consorte lectissima, Elisabetha Bavara primogenitum Fridericum die festâ S. Scholasticæ, videlicet decimâ Februarij suscepisset, evocatis ad eam solitudinem ex antiquissimo Sanctæ Crucis monasterio coloniis fundum assignavit, & deinceps elegantem vastæ molis basilicam DEI paræ honoribus erexit, ibidemque sibi, ac suis monumentum statuit. Et vero isthic etiamnum, cum Elisabethæ, filiorumque Friderici, & Leopoldi, ac alterius quoque conjugis Annæ, Joannis Bohemicæ Regis filiæ exuviis, ipsius Fundatoris ossa quiescunt.

NOVUM CLAUSTRUM.

HAUD procul Celeja dissitum, 'Sacro Prædicatorum Ordini Fridericus Princeps, & Comes Ciliensis, Anno 1453. subscriptis die 17. Januarij litteris fundavit. At diu à rabie Turcica immune non perstittit; cùm Anno 1479. à Barbaris per Styriam, vicinamque Carnioliam gravantibus, repente obrutum, & cæso P. Wolfgango Weidhoffer, reliquis

verò in vincula conjectis , & sacra inter spolia abductis fuerit desolatum . Reformuit tamen iterum , & quidem novis tabulis , ac immunitatibus ab Anno 1492 . firmatum , etiamnum floret .

OBEDACUM.

Obedacum vulgò Obedach , Oppidum est Superioris Styriæ Arce instructum ad Admontense Cœnobium pertinente , in quo vetustam Bedaci Urbem à Ptolomæo (k) in Norico annumeratam etiamnum perseverare autumat apud Merianum (l) Lazius , cui vocabuli affinitas familiaris hujus authoris Achilles multùm quidem suffragatur , sed cum Ptolomæi Bedacum ex situ , aliisque circumstantiis idem omnino videatur cum Peutingerianæ Tabulæ , & veteris inscriptionis Bidajo , & alterius inscriptionis Badaco , quod & Cluverio certum est , atque in his non nisi 13. vel ad summum 19. passuum millibus ab Oeno fluvio separetur ; cætera , quæ in definienda veterum locorum statione præ oculis haberi debent , Obedaco non congruunt , ut potè à prædicto fluvio longè remotiori .

OBERBURGUM.

Celebre quondam Ordinis S. Benedicti ad Carniolicæ fines in comitatu Ciliensi monasterium , teste Bucelino in Germ. sacra , (m)

conditum sub Annum 1140. à Theobaldo de Khaag, ejusque conjuge Truta, seu Gertrude, quod Ulricus Carinthiæ Dux ad Annum 1268. liberaliter auxit, & Fridericus Comes Ciliæ A. 1454. plurimum coluit. Verum Fridericus Imp. Pacificus à Pio II. Pontifice Max. obtinuit, ut illud Monachis migrare iussis, erecto recens Episcopatui Labacensi Anno 1463. adscriberetur.

PETOVIUM.

Petovium vulgò Petau, Urbs est cum arce, Inferioris Styriæ, à Dravo fluvio irrigata, quæ Græciō versus Meridiem milliaribus duodecim recedit. Huic servatum à primordiis nomen hanc parit felicitatem, quod genuina ejusdem antiquitas à nemine in dubium revocetur; à Romanis siquidem, aliisque veteribus scriptoribus tenui nominis discrepantia enuntiatur: Antonini, & Peutingeri Itineraria Petavionem, vel Pætovionem exprimunt. Tacitus (n) Petovionem vocat, & Legionis decimæ tertiae ibidem hybetna statuit. Ptolomæus (o) denique in Argentoratensi anni 1520. editione Petobium inter Panoniam Urbes recenset. Episcopali quondam dignitate hanc Urbem clariusse, ex Divi Hieronymi libro, *de scriptoribus Ecclesiasticis* patet, ubi juxta genuina Manuscripta, quorum unum in Bibliotheca Græcensi superstet, melius.

(n) *Hist. Lib. 3.* (o) *Lib. 2. c. 15.*

liorēsque editiones ita legitur: *Victorinus*,
Pétabionensis Episcopus, non aequè Latinè, nō
Græcè noverat. Unde opera ejus grandiora
sensibus, viliora videntur compositione verbo-
 rum. Ad extēnum quoque martyrio coro-
 natus est. Quāvis igitur in Martyrologiis,
 IV. Nonas, seu die secunda Novembris *Victo-*
ninus nominetur *Episcopus Pictaviensis*, id ta-
 men ex solo amanuensium lapsu contigit,
 prout ipsamē erudita Gallia modò agnoscit,
 & in recentissima Bibliotheca Maxima SS.
 PP. Lugduni editā fatetur. Permansit Urbs
 incolumis, donec eadem à Gothis propè fun-
 ditus excinderetur. Nam in illa Barbara-
 rum gentium, undique Romanas provincias
 incursantium rabie, Valentem Arianum, qui
 cathedram invaserat, sed ab Orthodoxa ple-
 be dejectus fuerat, patriam prodiisse, San-
 ctus Ambrosius in epistola ex Synodo Aqui-
 lejensi ad Imp. Augg. Gratianum, & Valenti-
 nianum II. datā, lamentatur. Urbis itaque
 vacuitatē, & Episcopis destitutē reliquias, post
 longa temporum intervalla, Otto II. Impe-
 rator, si Megisero credimus, Friderico Archi-
 episcopo Salisburgensi contulit. Verū anti-
 quiores tabulæ, totam civitatem ab Arnul-
 pho Imperatore dudum anteà Metropolitanæ
 Ecclesiæ donatam fuisse docent. Cūm vero
 Bernardus Archi-Episcopus eandem Mathiæ
 Gorvino tradidisset, receptam Maximilianus
 I. in fiscum rededit, & privato Principis æra-

rio adscriptis. Castrum, quod in sublinii petra, undique libera, suis propugnaculis urbem tuetur, fiduciario quondam jure, Nobiles cognomento Petovienses, habebant, & ab Anno 1254. Provinciales, ut vocant, Styriæ Mareschalli erant, quorum ultimus Fridericus Anno 1438. die 6. Januarij tumulo illatus est. Pientissimæ horum munificentia utrumque cœnobium, videlicet Prædicatorum, & Minorum Conventualium suam originem debet, quibus tertium, Capucinorum, sed extra urbis mænia situm accedit. Parochiali autem templo Decanus præest.

POLLENSE *Collegium.*

Pöllense Canonicorum Regularium D. Augustini Collegium in Inferiori Styria, non procul Hartbergâ, fundatum à Joanne L. Barone de Neüberg, postremo hujus stirpis surculo, nactum est primum Præpositum Udalricum de Trautmansdorff, qui post octennium in gubernio impensum anno 1512. mortalem hanc vitam cum æterna coniutavit. Inter successores ejusdem, Petrus Muchitsch, qui anno 1600. vivis excessit, insignis Theologus, & Religionis Catholice propugnator acerrimus, edito *Pædagogia Wittenbergensis* volumine inclaruit. Modernus verò Præfus, Joannes Ernestus ab Ortenhoffen, non solum

ele-

elegantē structurā novum asceterium erexit; sed etiam augustæ molis Basilicam, Sancto Vito Martyri, primo ejusdem Collegij Tute-
lari sacram, artifici penicillo illustratam ex-
struxit.

RAIN A.

RAINA Urbecula est in Boreali Savi flumi-
nis litore, quam Merianus (p) Inferio-
ri Styriæ adscribit, & ad Salisburgensem Ec-
clesiam olim spectâle Megiserus (q) testatur,
funestam cladem subjiciens ab Achmete Tur-
carum Duce anno 1475. in ejus conspectu
Christianis numerô longè inferioribus, & se-
diu strenue tueribus illatam.

RAKELSPURGUM.

Rakelspurgum, seu uti aliqui malunt, Ra-
ckerspurgum, quod 8. circiter infra Græ-
cium milliatibus Mura utrinque, tanquam in-
solam claudit, inter nobiliores Styriæ Urbes
censetur, sed vini præstantiâ reliquas antecel-
lens. Antiquum Hæclitanum, quod medio
ferè itinere Sallam inter & Pœtovionem ab
Antonino statuitur, agnoscit in hac Civitate
Cluverius, (r) tam situ, ac viarum ductu in-
nixus, quam aliquâ vocabuli consonantiâ. Su-
spicatur enim Ræclitanum potius inibi legen-
dum, quam Hæclitanum. Verum posterius

ar-

(p) *Topog. Styr.* (q) *Ann. Car.* L. 10. c. 20.(r) *Vind. & Nor.* s.

argumentum ei minimè favere suadet Ratio-
narium Styriæ anno 1267 confestum, & à
Lambecio (s) excusum, cui non Rakelspurg
inscribitur, sed Ratgersburch, quod quasi Rat-
genburgum apie Schönleben interpretatur;
Unde evanescit omnis cum Ræclitano conve-
nientia. Antequam Rakelspurgum ad Pro-
vinciæ Principem devolveretur, Wildonensi-
bus Domini paruisse narrat Merianus,
Commodis hodie habitatur ædibus, licet ite-
ratis incendiis sèpius defœdatum. Ad an-
num 1480. à Mathia Hungariæ Rege una
cum Petovio occupatum, sed illo ex vivis sub-
lato, Cæsari restitutum. Feliciter ad ejus po-
mæria contra Turcas pugnatum, dum anno
1418. Ernestus Archidux Austriæ de iis pri-
mò in hanc regionem irruptionibus glorio-
sissimam retulit victoriam, viginti circiter ho-
stium millibus in eo conflictu prostratis.

RECKER SPURGUM.

ARX Reckerspurgensis sex propè millia-
ribus à metropoli versùs Orientem dis-
sita, rupis altitudine, propugnaculorum nu-
merò, & internâ totius areæ, pomariis, vi-
neisque consitæ, magnitudine superat Græcen-
sem, ut inter fortissima Provinciarum Au-
striacarum munimenta numerari mereatur.
Ad summum præcipitis petræ culmen, in quo
ingens aula eminet, non nisi per complures
por.

(s) Biblioth. Vindob. L. 2. c. 4.

portas, suis pontibus instructas, aditus referatur. Eidem modo dominatur Wenceslaus Carolus S. R. I. Comes de Purgstall, Sacrae Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis in excelso Austriae Interioris Regimine Consiliarius, qui primo Seculi labentis anno Germaniae Austriae Topographiam, per R. P. Carolum Granelli, tunc Matheseos Professorem, nunc vero Augustissimæ Imperatricis viduæ Amaliz confessarium elaboratam, ex qua præsens libellus, nonnullis tamen additis, est desumptus, cum Universæ Philosophiae Thesibus publicè in Academia Viennensi propugnatis, immortalis gloriæ Imperatori Leopoldo Magno dedicavit.

ROHITSCHIUM.

CAstrum istud montanum cum subdito sibi vico, Celejam inter & Petovium æquō intervallō situm, Ragandeni veteri in Antonini Cæs. itinerario memorato, ut Schönleben in Apparatu toties laudato accurate obseruat, longè magis, quam Cartusiae Seizensi, aut Parthenoni Studenizensi congruit. Haud etenim Urbium, aut coloniarum quondam Romanarum rudera extra viam regiam in via solitudine sunt inquirenda. Verum maximam huic loco famam Acidulae conciliant, quæ reliquis omnibus per Styriam utramque scaturientibus palmam præripiunt, ideoque non solum in proximas, sed distas quoque pro-

provincias deportantur. Easdem peculiari libro Joannes Benedictus Gründel, Mahrburgensis civitatis Medicus, typis Græcensibus vulgato, adeò accuratè descripsit, ut nihil superaddi posse videatur.

ROTTENMANIUM.

ROttomanum vulgo Rottenmann, aut Rottenmon, Civitas est Superioris Styriae in valle, vulgo Paltenthal 14. circiter miliaribus Græciō diffita, quam Montanis Castris ab Antonino memoratis substituit apud Merianum (t) Lazius, itinerum ratione ut cunque adstipulante. Meminit illius Gerardus de Rho, (u) ad annum scilicet 1291., quo Otto Bavariae Dux, atque Conradus Salzburgensis Præsul, indicto in Albertum Austriæ Archiducem bello, concordibus armis expugnârunt. Nobilitatur Rottenmanum ab eximio Canonicorum Regularium S. Augustini Collegio, quod condidit anno 1455. Fridericus IV. Imperator, Joanne Jung à Dinkesbichl in primum Præpositum inaugurate,

RUNENSE

Cœnobium.

Runense Cisterciensis Ordinis Cœnobium binis milliaribus Græciō absens, cuius fundationem Friderico I. Cœsari cognomine Ænobarbo Bucelinus perperam adscribit.

Fun-

(t) *Topog. Styr.* (u) *Germ. sacr. p. 2.*

Fundator ejusdem erat Leopoldus, cognomeno Fortis, Styriæ Marchio, qui vallem Runensem à Waldone comite, loci Dynasta permutatis agris comparatam, Religiosis coloniis ex Eboracensi Franconiæ Cistercio, per Gerlacum de Dunckenstein, ibidem Monachum, sed illustri Styriæ procerum sanguine ortum, isthuc adductis munificè transcripsit. Sc etenim ipse met in quadam membrana Græcij data, cui tamen epocha deest, asseverat: *Hunc locum Sanctæ DEI Genitrici Mariae pro mea meorūmque salute, à fundo construxi, sovi, dilexi.* Priusquam verò supremam coronidem adderet, Anno 1129. vivis exemptus, ibidemque sepultus, inchoatum opus superstiti cum filio Ottocaro viduæ, Sophiæ Guelphicæ, consummandum reliquit. Fundatoris nepos Ottocarus Dux Styriæ primus, in tabulis Grece in civitate Anno 1189. datus ita loquitur: *Pater meus felicis memoriæ, Otakar Marchio de Styra, monasterium Runc, quod pater suus, Marchio Leopoldus cognomento Fortis, avus meus à fundo construxit,* & ubi etiam sepultus quiescit, votum patris adimplens prædiis suis ampliare curavit. Nulus igitur de Fundatore, ejusque filio, ac nepte ambigendi locus superevit. Verùm cineribus ejusdem sua pariter ossa jungi voluit Ernestus Archidux, alter post Rudolphum I. Augustæ stirpis Austrio Habsburgicæ conditor, quæ in marmoreo Sarcophago ad dex-

trum aræ primariæ latus asservantur. Ex Abbatibus Geraci Successoribus binos insulæ episcopales sibi vendicarunt, videlicet Lavantina Almericum Graffendorffer, & Neostadiensis Martinum Duelacker, qui jam prius Callipolensis Episcopi honorem cum Abbatis munere copularat, secundi fundatoris nomen suis meritis insuper adeptus.

SCHLADMINGA.

SChladminga vulgò Schlädming Superioris Styriæ Oppidum Salisburgenses fines secus Onasum attingens veteri Antonini Sabatinæ congruere Lazio videtur. Funestissimum est, quod à Michaële Grueber tumultuum Rusticorum Antesignano anno 1515. istic patratum narrat Megiletus, (x) præcipuam videlicet Carinthiæ, ac Styriæ nobilitatem, quæ præliò infeliciter cum rebellibus consertò, in fugam acta hue confluxerat, inopino sub auroram adventu ab eo oppresfani, aut laqueo, aut gladio majori ex parte interisse, post quam enormem lanienam superveniens Nicolaus Comes à Salm, abactis Rusticis Schladmingam incendit, murisque nudavit. Qua insuper occasione Civitatis jure, quo olim fruebatur, abolito, eam Oppidistunc primò annumeratam existimat Mexicanus.

SEC.

(x) Ann. Cari. L. c. 19.

SECCOVIVM.

SECCOVIVM vulgo Seckaw Superioris Styriæ nobilissimum est Canonicorum Regulareum S. Augustini Collegium ab Adalramo Comite de Waldegg, deductis illuc ex Metropolitana Salisburgensi coloniis, anno 1140, fundatum, Wernhero Geiller in primum loci Præpositum assumpto. Ejus Templum illustrat plurimū Austriæ Archiducum Mausoleum, undique raro marmore splendidum, inter quos peculiarem exigunt mentionem Carolus Styriæ Dux, ejusdem conditor, anno Christi 1590., ætatis verò 50. vitâ functus, atque Maximilianus Ernestus Ordinis Theutonici Commendator anno 1616., ætatis 33. è vivis sublatus. Alterum est Episcopatus ab Eberhardo II. Archiepiscopo Salisburgensi, annuente Honorio III. Summo Pontifice, anno 1218. ibidem institutus, cuius cathedram primus concendit Carolus Frisacensis Præpositus, jam plurimos perpetuâ serie nactus Successores, qui per maximam Styriæ partem Salisburgensi Archidiocesi insertam, Vicarij Generalis authoritate pollent, & S. R. I. Principum dignitate à Friderico II. Imperatore perpetim concessâ fulgent;

SEIZENSIS

Cartusia.

PRIMA inter omnes totius Germaniae Cartusias est Seizensis, quam in Styria in se-
riore Ottocarus Marchio, laudati superius Leopoldi Fundatoris Runensis filius, & qui-
dem cœlesti ostento monitus erexit. Cùm
etenim Gonovicensi valle cervam candidam
venabulo per avia insecutus, sed illa tandem
ex oculis evanescente fessus in cespite obdor-
miisset, eidem se Divus Joannes Baptista,
quem velut Eremitarum Patriarcham Ordo
Cartusianus præcipue veneratur, candido
amicus cucullo visendum præbuit, simûlque
monuit, ut in hanc eandem vallem Anacho-
retas, simili vestitu præditos, è Delphinatu
Galliz provincia evocaret. Etsi verò hanc
apparitionem Anno 1151. contigisse chartæ
veteres testentur, attamen diu Principi expe-
ctandum fuit, ut sacras colonias impetraret.
Hinc ipsem in membrana foundationis ita lo-
quitur: *Omnibus Christi fidelibus memoran-*
dum trado; qualiter ordinem Cartusiensis
Heremi in marchiam mea ditionis transplan-
taeaverim. Igitur ad laudem omnipotentis
IDEI, votum desiderio animi diu prælibatum
feliciter consummavi, & ut voti celerius com-
pos fieri potuissim, missis legationibus Apostoli-
cam clementiam interpellavi, quatenus ipsius
auctoritate interpositâ, monendo, rogando, &

exhortando in Domino, Patres sanctos praedicti
 Ordinis ad petitionem meam inclinaret, si que
 tanto fretus patrocinio cæptum opus per DEI
 misericordiam tandem elaboravi. Est pagus,
 qui vulgo dicitur Gunivitz, in Patriarchatu
 Aquileiensi, ubi situm est prædium eminentio-
 nibus montibus circumseptum, antedicto Ordi-
 ni aptissimum, in quo prædio in honorem Do-
 mini nostri IESU Christi, & Sanctæ Genitricis
 ipsius perpetuae Virginis Mariae, & S. Joannis
 Baptistæ, omniumque Sanctorum, Reverendissi-
 mi Ordinis cellam fundavi, & prædium ibi-
 dem super altare potenti manu legavi, &c.
 Acta sunt hac Anno Dominicæ Incarnationis
 MCLXV. Alexandro III. Apostolicæ Sedi præ-
 sidente, Friderico Imperatore regnante, Udal-
 rieo in ecclesia Aquileiensi presidente, Bas-
 silio Priore in Eremo Cartusiensi, Beremundo
 Priore hujus loci existente, feliciter, Amen.
 Cùm itaque Princeps hoc eodem anno 1165.
 à Natali Domini tunc inchoato, die ultimâ
 Decembris, dum iterato in Palæstinam ad in-
 visendum Domini sepulchrum tenderet,
 Quinque Ecclesiis in Hungaria obiverit; hinc
 praedicta membrana, fors eadem die confe-
 sta, & subscripta est. Fundatoris ipsius, uti
 & conjugis, ac filij Ottocari Duci primi ossa,
 qui amplioribus fundis, censibusque Cartu-
 siam auxit, nunquam tamen Monachum in-
 duit, in templi sacristia sub candido marmore
 aſſervantur. Quod si primus Asceterij Prior

Beremundus, ex regio Cornubiæ comitum sanguine prognatus, ut vetera documenta narrant, à Petro S. Eustachij Cardinale Diacono, Gonovicum est deductus, id inclinante anno 1159. contigit, quo Alexander III. Julianum Episcopum Prænestinum, & Petrum Cardinales Legatos in Hungariam misit. Ex Beremundi Successoribus præcipue memorandi veniunt, Joannes II. Christophorus I. & Stephanus I., qui ab Anno 1391. ad usque 1410. ob turbatam per Antipapas Avenionenses ecclesiam, tanquam totius Ordinis Priores Generales in Cartusia Seizensi, ut-pote omnium extra Galliam antiquissimâ, re-federunt; sub hujus siquidem exordium illa, quam sanctus Bruno in Calabria inchoaverat, iterum relicta, & Cisterciensibus fuit transcripta. Reliqua ob fixam hisce paginis angustiam silemus.

STAINZENSE *Collegium.*

Florentissimum istud Regularium Divi Augustini Canonicorum collegium, tribus Græciō milliaribus, Occidentem, Meridiēmque versus dissitum, per amœno clivo insidet, cui subiectum oppidum adhæret. Fundatorem habuit Luitoldum Wildonensem Toparcham, qui annuente Seccoviensi Proto-Episcopo Carolo, primam ex eādem cathē-

thedrali ecclesia coloniam, sub Geroldo Præposito illuc Anno 1229. deduxit, & Divæ Partheno-Martyris Catharinæ templum consignavit. Decessit ille Anno 1249. quo tabulas fundationis dederat, die 13. Aprilis, ibidemque humatus quiescit; Agnete conjugé, quæ usque ad Annum 1272. superstes vixerat, die 19. Julij eidem tumulo illatâ. Ministræ Pontificalis usum Sigismundus à Lemfitz, Præpositus ordine supra decimum septimus, sibi, ac Successoribus suis, postulante Friderico Imperatore Pacifico, à Sede Apostolica obtinuit. Verum alterius Fundatoris titulum sibi meritò vendicavit Jacobus Rosolenz, qui septimus ultra vicesimum antistes fuit. Hic Colonizæ Agrippinæ genitus, & singulari Academiæ nuper conditæ famâ Græcum excitus, cùm præclara ingenij specimina dedit, ad Archiducale Convictorum collegium inter Gyrienses Alumnos est receptus. Primam Philosophiæ lauream Anno 1590. die 26. Aprilis; supremam anno insequente, die 28. Maii, est assecutus. Exinde perscrutandis Theologizæ arcanis operam impendit, donec Anno 1594. die 30. Junij ad gubernandam oppidi Leibnicensis parochiam Graciō abiret. Verum ibidem haud diu moratus, Stainzenses inter Canonicos receptus, & Præsul renuntiatus, imprimis quidem Anno 1602. Serenissimis sub auspiciis Ferdinandi II. Archiducis, dein Cœsaris, die 10. Junij, Præsi-

de R. P. Joanne Deckerio, Academiz Cancellario, universam Theologiam publicè propugnavit, & ab eodem in Aulica D. Egidij Basilica die 25. Junij Doctoratus insignia recepit. Accerrimus Catholicæ fidei propugnator, ut Davidem Rungium, Wittenbergensem Academicum compesceret, qui Principem ob ejectos ex Styria, exercitisque provinciis ministellos, & avitam Religionem regum reductam, tyrannidis incusare non erubuit; egregium volumen, Anti-Rungium appellatum, Græcij Anno 1607. typis vulgaravit, eoque luculentè ostendit, quām fœda scelerum sentina sub illo pseudo-evangelio deliquerit. Exinde ob zelum pietatis, eximiāque in rebus agendis perspicaciam, & dexteritatem adeò charus Ferdinando erat, ut eundem non solum ærarij, seu Cameræ Aulicæ Interioris Austriae Præsidem constitueret; vezum etiam primum Urbis Græcensis Episcopum designaret, cùm de nova cathedra isthic erigenda, consentiente Metropolita Salisburgensi, apud Summum Pontificem ageretur. Cùm res propemodùm confecta esset, mors intercessit, quæ Jacobum multis, magnisque meritis inclytum terris eripuit, & comparata per ejus industriam bona Collegio Stainzeni salva, & integra reliquit.

STRASGANG.

Prochiale templum est Gratiarum Matri dedicatum, quod uno ab urbe Græcensi lapide versus occasum Anno 1461, illustris eques, Georgius Gradner edificavit. Appensa ibidem anathemata testantur beneficia, quæ suis clientibus DEI para indulget. Hinc illud præ ceteris Serenissima Maria, Caroli Archiducis consors, quolibet Sabbato, & quidem itinere pedestri adire suevit, eamque semitam erectis ad publicam pietatem columnis signavit. Amplissimæ autem Parœciæ, quæ magnam quoque suburbij Græcensis partem continet, idem Archidiaconus præst, cui reliqua inferior Styria, Muram inter & Dravum comprehensa, exceptâ Diœcese Seccoviensi, obtemperat.

STRASENGEL.

Celebris hæc ecclesia, unâ solùm leuca septentrionem versus Græcio dissipata, Cistercio Runensi adscripta, in vetustis Macchionum membranis *Straſind* appellatur. Eandem Ottocarus Leopoldi Fortis filius, priusquam cum Cæsare Conrado III. armatus Palæstinam adiret, Anno 1147. post obitum suum propriam esse voluit. Colitur ibidem Gratiosa DEIparæ tabella, quæ Virginem cœruleâ institâ, spicis aureis intertextâ, vestitam, auréaque zonâ cinctam exhibet.

At major cultus loco accessit, postquam crucifixi Redemptoris simulacrum, quod in proxima sylva ad abietis radicem excreverat, Anno 1255. repertum, & in eandem Basilicam est translatum, ubi auro, gemmisque cinctum pio fidelium cultui ad osculum exhibetur.

STUDENIZENSE *Monasterium.*

Nomen istud, quod Vindico idioniate frigidam fontis aquam denotat, Monialium sub regula S. Dominici viventium asceterio, duodecim ab urbe Graecensi milliaribus in Austrum dissito convenit. Originem illius membrana fundatricis continet, quae ita sonat: *Universis Christi fidelibus presentium serie cupio declarari; quod ego Sophia humilis vidua post mortem dilecti quondam mariti, Ricberi de Sunegk, ad fundandum monasterium Gloriosissimae Virginis, ac intemeratae Matris Mariae, in loco, qui vulgo Studeniz dicitur, nunc autem Fons Gratiarum nuncupatur, bona hereditatis meae liberè condonavi. Et acta sunt hæc Anno Incarnationis Domini MCCLXIII. VIII. Kal. Junij. Eandem fuisse Alberti de Rohats filiam ex alio diplomate patet, quo Henricus frater fundatricis pietati subscripsit.*

VEISTRIGIUM.

Cognomento Vindicum, Styriæ inferioris civitas, tribus Petoviō, totidem Mahtburgō milliatibus distat, ut cum illis trigonum constituat. Singularem illi splendorem aula, seu palatum conciliat, quod ædificij magnitudine, picturæ elegantiâ, & annexi horti culturâ excellit. Sacrum DEI paræ dolorosæ templum, cum Udalricus Princeps Eggenbergius Anno 1629. Minoribus S. Francisci Conventualibus piâ munificentia donâsse, monasterium eidem adjectum ex aliorum eleemosyna altero statim anno assurrexit.

VINDO-GRÆCIUM.

Vulgò Windischgrätz Inferioris Styriæ Urbs à Carinthiæ confiniis non procul abscedit, in qua Merianus (y) Lazio secessus antiquam Ptolomæi (z) Vinundriam se deprehendisse opinatur, sed aliud conjecturæ argumentum adferre oporteret, quam infirmam unius syllabæ consonantiam. Interim vix ambigi potest, quin à Vindis seu Venedis populis, quas vulgus hodie Windisch appellat, aliquando fuerit, aut primò erecta, aut instaurata. Ab eadem nobilissima Windischgræziorum familia, non solum in terris Austriae, sed etiam totius Germaniæ Imperio celeberrima, nomen habet, & hereditariam in-

Styria Ducalis Stabuli præfecturam, à Majoribus suis derivatam, gerit.

VOITSPERGA.

VOITSPERGA Urbecula est ad amnem Kainach tribus milliaribus Græciō diffusa, quæ si Meriano (a) credimus, Lazium sectanti, magnam præfert vetustatem, quin imò Romanorum Viana, cuius Plinius (b) in Norico meminit, memoratis authoribus videtur. Pietati publicæ ibidem servit Carmelitarum veterum, seu calceatorum Monasterium, quod Anno 1407. Nobile pars fratrum, Fridericus, & Georgius Equites de Hanau fundarunt; Joannes, & Georgius de Laun Beneficiis auxerunt; adjecta æde Lauretana, Illustissimi Comites de Wagensberg exornarunt. H̄i Anachoretæ pariter ecclesiam Parochialecm administrant.

VORAVIENSE

Collegium.

Religiosa pietate, litterisque florentissimum Voraviense Collegium, non procul Hartbergā, Styriæ Inferioris Urbe, Regularibus D. Augustini Canonicis fundavit Ottocarus Marchio, cùm post sterilem annis compluribus thalamum tandem Ottocarum primogenitum suscepisset. Sic etenim ex diplomate argitur, in quo Princeps ita loqui-

(a) Topog. Syr. (b) Li, 3. e, 24.

quitur: *Divini timoris & amoris intuitu, pro salute nostra, & dilectae conjugis nostra Chunegundis, & charissimi filij nostri Ottakari quodam prædium nostrum Vorovve dictum ad Juaviensem sedem potestativâ manu tradidimus, & in eodem prædio viros religiosos secundum regulam Beati Augustini viventes, jugiter ibidem permanuros, auctoritate Domini nostri Eberhardi venerabilis Archi-Episcopi, collocavimus &c.* Acta sunt hæc Anno Dom. Incarn. MCLXIII. apud Fischaha. Cùm igitur Princeps Chunegundis suæ jam Anno 1147. in datis Cistercio Runensi meminerit, nunquam verò ante prædictam membranam Anno 1163. signatañ, ullius lobolis mentionem fecerit, hinc Ottocarum fuisse primogenitum liquet. Primus collegiatæ huic Ecclesiæ Præpositus Leopoldus erat, qui antea Decanum Seccoviensem egerat. Ex successoribus ejusdem Philippus, ætate nostra non modò Ascerterium ædificiis, additâ eleganti Bibliothecâ auxit, sed etiam templum D. Thomæ Apostoli sacrum picturis, aureisque lemniscis, ac novis aris per quam splendidè ornavit.

WEIZIUM.

Oppidum istud Græciò tribus versus Oriente m̄ milliaribus distatum, ob Paræcialē ecclesiam in colle vicino conditam celebraatur. In hac siquidem Dolorosæ Matris, depositum è cruce filium gremiō sustentantis

statua, multis gratiis, & prodigiis inclyta, ab Anno 1064. colitur. Hanc porro ex lapide, à S. Thiebione Salisburgensi Archiepiscopo, & Martyre elaboratam fuisse, haud levis conjectura suadet, cùm sit alteri simillima, quam idem Artifex Admontensi monasterio in perenne grati animi monumentum reliquit, dum exul ibidem inquiline ageret.

WILDONIUM.

ARX, & oppidum tribus infra Græcium milliaribus, dextram Muræ præterlabantis ripam occupat. Paræcialis ecclesia Divæ Magdalenaæ sacra, candem à celeberrimo pictore Weissenkircher, perquam artifici penicillo effigiatam in ara suprema spectandam exhibit. Mons verò, cui castrum insidet, maritimas conchas, eásque petrefactas, velut universalis quondam diluvij testes, continet.

ZEYRINGIUM.

PRepositura est Superioris Styriæ, Admontensi cœnobio adscripta. Propinquæ huic erant opulentissimæ quondam argentifodinæ, quæ ad annum 1158. periære. Perfracto siquidem hydrophylacio subterraneo, erumpentibus aquis mille quadringenti fossores submersi sunt, & sepulti. Deplorant miserandom hanc cladem Rhythmi Germanici in arce Heinfeldensi, parieti conclavis illius in-

scripti, quod Maximilianus I. Cæsar incoluit, dum de illis reparandis cōsilia, sed irrito cōnatū, agitaret.

EPILOGUS.

STyriam claudimus celebri disceptatione, quæ hanc Provinciam plurimūm involvit, inter Geographos exortā: in quanam scilicet Norici, aut Pannoniæ plaga extensa fuerint Bojorum deserta à Strabone, & Plinio memorata. Primiverba ex Lugdunensi anni 1557. impressione excerpta ita se habent (c): *Cæterum Tiberius à lacu* (Brigantino, seu Constantiensi loquitur) *unius diei progressus iter, Istri fontes aspergit. Ad eum lacum Rhætis paululum adsunt, amplius Helvetij, & Vindelicis, & deserta Bojorum regio usque ad Pannonicos.* Quibus duntaxat perpenſis, luculentum cuivis videbitur controversa hæc Bojorum deserta à Vindelicia, & Constantiensi lacu, qui hodie Podamicus, & vulgò Bodensee dicitur, per Bavariam, Carinthiam, Austriam, & Styriam ad Pannoniam usque procurreisse, ideoque subscribendum omnino esse eruditissimi Velseri (d) judicio, quod his terminis expressit: *Principes Boij monumentum in adversaria, ad ipsum statim Danubij trajectum posuere Bojodurum, quæ Oenus Vindelicos, & Noricos interfuit Germaniae Magnæ objectos utrosque: magnus præterea circa agri modus,* à

Vindelicorum quippe finibus ad Pannoniam Norici longitudine fusis, genti attributus est, quum ob eas, quæ postea rerum varietates consecutæ, Bojorum deserta Strabo, & Plinius appellavere. Velsero ferme consonat apud Schönleben (e) Lazius, sic ibi definiens. *Bojorum deserta, quæ in mediterraneis ab Aniso fluvio usque ad Cetium montem excurrebant &c.* Verùm litem his omnibus movet Plinius, egregius & ipse author, Straboni citer coœvus, qui longè diversum Bojorum Desertis adstruit situm, extra circumscriptos ab adductis hactenus scriptoribus fines ea penitus relegans. *Noricorum enim Provinciam secundū illos plurimūm occupabant, & cum eadem Orientem versūs in Cetio monte desinebant; sed à Plinio, (f) factō ab hoc ipso Norici limite, initiō, ultra Sabariam Pannoniæ Urbem liquidò explicantur.* Patet id procul dubio, si sequens authoris textus attentiūs inspiciatur: *Noricis, inquit ille, junguntur lacus Peiso, Deserta Bojorum: jam tamen Coloniâ Divi Claudij sabariâ, & Oppido Sacarbantiâ Julianâ habitantur.* Si itaque hæc Deserta Norico fuerant tantummodo contermina, seu illi jungebantur, manifestò infertur, extra Noricorum terras ea esse Geographis inquirenda. Hinc præcitatus Schönleben, cui Cluverius (g) favet, secutus vesti-

gia

(e) *Carn. Ant. Appa* c. 5. §. 1. (f) *Hist. Nat.* L. 3. c. 24. (g) *De Vin. & Nor.* c. 5.

gia Sabariensis Coloniæ , quæ in iis Desertis
 juxta Plinium incolebatur, in sententiam abiit.
 Vels ero prorsus adversantem , eadem scilicet
 Bojorum Deserta se deprehendisse arbitratus
 in eo Pannoniæ tractu, qui ab Ortiva Cetij
 montis parte Viennam Austricæ à Petovio Sty-
 riæ divellit ; Sabarium enim inter Pannoni-
 cas floruisse Urbes, à nemine , nisi in veterum
 fastis prorsus peregrino , disputatur. At cur
 aliqui ita Plinium amplectuntur , ut Strabo-
 nem excludant ; alij autem ita à Strabone
 pendent , ut Plinium non auscultent ? quasi
 verò nulla concordia ratio initri posset, nec
 ulla reconciliationis spes amplius affulgeret ?
 quod tandem emolumen tum pro Deserto di-
 gladiari ? si quid minimum uterque adverfa-
 rio cesserit, sublata erunt bella, firmata pax ;
 imò ne id quidem ferè necesse habes, ut binos
 hos authores, prima fronte inter se pugnantes,
 in idem demonstrem unanimiter conspirasse.
 Dicantur igitur Bojorum Deserta Norici ,
 Pannoniæ que terminos complexa, ita tamen,
 ut neutram exhauserint Provinciam, nunquid
 tunc verum dixerit Plinius, Noricis jungi De-
 serta ? cùm adhuc cultam ab iis populis re-
 gionem versus Occasum relinquam ; neque
 à vero deviassè putabitur Strabo , dum asse-
 rit, Deserta ad Pannionam usque pertigisse ,
 et si per aliquam hujus partem ulterius pro-
 moveantur ; id ipsum enim Strabonem (h)

per ea verba sibi voluisse, ex alio ejusdem authoris loco affatim elucescit, ubi hæc ait: *Romani Bojos sedibus ejecerunt, qui, quum ad Istrum commigrasset, apud Tauriscos habitarunt, bellum adversus Dacos gerentes, donec ista gens funditus fuit excisa.* Agrum vero, qui ad Illyricum pertinebat, Desertum, ac pecoribus pascuum vicini reliquerunt. En Bojorum Deserta ultra Norici fines, ad Illyricum nempe, cuius tunc pars habebatur Pannonia, ab ipso Strabone protracta, neque plus pretendere videtur Plinius, cum allatae ab eo Urbes modicō intervallō à Norico absuerint. Unum itaque superest, à quo recedat Strabo, ne videlicet ea Deserta ita Brigantino lacui adnoveat, ut alij populi ibidem descripti non intercesserint, ad quod, si reliqua probè conferantur, clare constabit, eundem propende-re. Demum qua ratione ea regio deserta squaluerit, alibi clariū indicat idem Strabo (i) ita. Cluverio interprete, tem enarrans: *Res Getarum antiquas mittamus. Nostra etate quæ gesserunt, hec sunt. Bærebista natione Geta, quum imperium in gentem suscepisset, eam crebris adflictam bellis refecit, tantumque exercitatione, sobrietate, ac diligentia profecit, ut intra paucos annos magnum constituerit Imperium. Finitimarum nationum plerasque Getarum genti subjiciens, quin & ipsis Romanis jam formidabilis erat, Istrum andacter*

tran-

(i) De situ orbis l. 7.

transiens, Tbraciāmque ad Macedoniam usque
& Illyricum populans. Gallos quoque Thracibus,
& Illyricis permixtos evastavit, Bojōque, &
Tauriscos, qui sub Critasiro erant, prorsus dele-
vit. Et postea eodem libro: Partem hujus
regionis desertam reddiderunt Daci, debellatis
Bojis, atque Tauriscis Gallicis gentibus. Quid
ego sentiam, amice lector, aperui: si mihi af-
sentiris, Styriam universam in hæc Deserta
conjicis: hanc quippe Provinciam ad Norici,
& Pannoniæ campos ex veteri Cetio com-
muni utriusque metà se demittere jam supe-
riùs ostendi: si vero alterutra ex prioribus
opinionibus magis arridet, eadem de causa
saltē aliquam Styriæ partem in iis
Desertis reperies; elige,
quod lubet.



CATALOGUS LOCORUM,

Quæ hoc libello continentur.

G RÆCUM METROPOLIS STYRIÆ.	Muravia.
ADMONTENSE MONAFT.	Neustiftense Templ.
AUFEET.	Novomontanum Cænobium.
CELLA MARIANA.	Novum Claustrum.
CILEIA.	Obedacum.
EHRNHAUSEN.	Oberburgum.
EISENARTZ.	Petovium.
FERNICUM.	Pöllense Collegium.
FRIDAVIA.	Raina.
FRIDBERGA.	Rakelspurgum.
FÜRSTENFELDA.	Reckeisprungum.
GESSACUS.	Rohitschium.
GONNOVICIUM.	Rottenmannium.
GÖSSENSE CÆNOBIUM.	Runense Cænobiū.
GYRUM.	Schladminga.
HARTBERGA.	Seccovium.
JUDENBURGUM.	Seizenis Cartusia.
KAPFENBERGA.	Stainzense Collegiū.
KNITTELFELDA.	Strasgang.
LAMBERTINUM CÆNOB.	Strasengel.
LANCOCVICIUM.	Studenizense Monast.
LEIBNICIUM.	Veistricum.
LEOBIUM.	Vindo-Græciū.
LUETENBERGA.	Voitsperga.
S. MARIAE CONSOLATRICIS TEMPL. & MONAFT.	Voraviense Colleg.
MÄHRBURGUM.	Vordernberg.
Mehrnb ergense Ascer.	Weizium.
MURÆPONTUM.	Wildonium.
	Zeyringium.

D. O. M. A.

Quod

**BONUM, FELIX, FAUSTUM,
FORTUNATUMQUE SIT**

*Huic Almae, ac Celeberrime
UNIVERSITATI GRÆCENSI,
Senatui Philosophico, rotique
Reipublicæ Christianæ.*

SUB REVERENDO PATRE

MICHAELE MAYR,

è Soc. JESU,

**AA. LL. & Philosophiæ Doctore,
Theologizæ moralis Professore Ordinario, ac
Inclytæ Facultatis Philosophicæ**

DECANO SPECTABILI.

*Illustriſſimi, Perilluſtres, Reverendi,
Religiosi, Prænobiles, Nobiles, &*

Eruditi

Pro AA. LL. & PHILOSOPHIÆ

Prima Laurea

C A N D I D A T I ,

In Aula Universitatis Græcensis,

**Anno M. DCC. XXVII. Die XXII. Men-
sis Aprilis horâ 8. Matutinâ,**

**Earundem AA. LL. & Philosophiæ Prima
Laurea condecorati sunt**

P R O M O T O R E

R. P. ANTONIO ERBER,

*è Soc. JESU, AA. LL. & Philos. Doctore,
ejusdemque Professore Ordinario.*

NOMINA PROMOTORUM.

1. **A**damus Josephus Catharin, Prænobilis Styrus Græcensis.

Cajetanus Sigefridus Schober, Prænobilis Styrus Græcensis.

Illusterrimus D. Franciscus Rambaldus Venereus Maria S. R. I. Comes de Strafoldo, Italus Foro-Julienis, ex Archiduc. S. J. Conv. Colleg.

Rev. ac Relig. D. Marianus Pitreich, Sacri, & exempti Ord. Cist. Celeberrimi, & Antiquiss. Monast. B. M. V. de Runa Professus.

Rev. ac Rel. D. Abundus Fux, Sacri, & exempti Ord. Cist. Celeberrimi, & Antiquiss. Monast. B. M. V. de Runa Professus.

2. Antonius Curti de Francini, Croata Copronicensis Perillustris, S. R. I. Eques, ex Archiduc. S. J. Conv. Colleg.

Franciscus Xaverius Rehinger, Civis Sty-
rus Judenburgensis, è Cæsar. Ferd.
Alumnus.

Maximilianus Hochkoffler de Hochen-
föls, Prænobilis Styrus Græcensis.

Andreas Zacharias de Waiz, Prænobilis
Styrus Græcensis, ex Archiduc. S. J.
Conv. Colleg.

3. Josephus Antonius Trüttherfür, Civis
Suevus Wangensis, è Cæs. Ferd. Alum-
nus.

Martinus Antonius Pauer, Civis Ungarus
Reydingiensis.

Ignatius Christophorus Schelzinger, Præ-
nobilis Styrus Græcensis.

4. Josephus Favetti, Nobilis Italus Utinen-
sis, ex Archiduc. S. J. Conv. Colleg.
Alumnus.

Paulus Prunner, Civis Tyrolensis Velthur-
nen sis.

Bartholomæus Martinelli, Civis Tyrolensis
Valisoletanus, è Cæs. Ferd. Alumnus. &
Rev. ac Rel. D. Bernardus Khappus, Sacri, &
exempti Ord. Cist. Celeberrimi, & Anti-
quis. Monast. Sitticensis in Carniola Pro-
fessus.

Petrus Antonius Gratoni, Civis Italus Foro-
Juliensis, ex Archiduc. S. J. Conv. Colleg.

Joannes Fridericus Struppy, Nobilis Carnio-
lus Crainburgensis.

Franciscus Antonius Stadler, Prænobilis Styr-
us Vordernbergensis, ex Archiduc. S. J.
Conv. Colleg. &

Franciscus Xaverius Thadæus de Hauck, Præ-
nobilis Styrus Græcensis.

Ernestus Josephus de Vogtberg, Perillustris
Styrus Græcensis. &

- Matthæus Hainzl**, **Civis Rhoetus Gezensis.**
Ferdinandus Andreas de Vogtberg, **Perillustris Styrus Græcensis.** &
Josephus Antonius à Monte, **Civis Tyrolensis Flemenensis**, è Cæs. Ferd. Alumnus.
Matthæus Malle, **Civis Styrus Atenfelsensis.**
Robertus Josephus Brigniel, **Prænobilis Carinthius Glagenfurtenis**, ex Archiduc. S. J. Conv. Colleg. Alumnus.
Franciscus Jacobus Aigentler, **Prænobilis Styrus Græcensis.** &
Joannes Andreas Borzaga, **Civis Tyrolensis Ananiensis**, è Cæs. Ferd. Alumnus.
Franciscus Antonius à Tobel, **Nobilis Rhœtus Dorenbierensis.**
Mathias Antonius Juschiz, **Civis Dalmata Segniensis**, è Cæs. Ferd. Alumnus.
Antonius Xaverius Lipp, **Prænobilis Styrus Herbersteinensis**, è Cæs. Ferd. Alumnus. &
Carolus Josephus Bartholoti, **Nobilis Styrus Erlachsteinensis.**
Joannes Georgius Rapoz, **Civis Styrus Maiburgensis.**
Maximilianus Wrembl, **Officialis Styrus Gililiensis**, è Cæs. Ferd. Alumnus.
Franciscus Antonius Carolus Dengg, **Prænobilis Styrus Græcensis.**
* **Andreas Saffoschnig**, **Civis Styrus Veistriensis.**
* **Albertus Troyer**, **Civis Italus Rantianensis.**
Gregorius Franciscus Lanz, **Civis Styrus Kumpizenensis.**

Franciscus Xaverius Raggamb, Prænobilis
Styrus Leobiensis.

Joannes Franciscus Hoffer, Prænobilis Carin-
thus Spitalensis.

Joannes Georgius Tonner, Civis Styrus Tro-
fejensis.

Thomas Wolff, Civis Styrus Mahrburgensis.

Josephus Riester, Civis Suevus Krienheinstet-
tensis.

Josephus Carolus Tschades, Civis Carniolus
Rattmonstortfensis.

Josephus Kostwein, Civis Carinthus Gentifo-
rensis.

Petrus Rest, Nobilis Carinthus Stayrbergensis.

Paulus Drolz, Civis Styrus Saxenfeldensis.

Extra Ordinem.

D. Joannes Georgius Kraskoviz, Civis Carniolus Labacensis, SS. Theol. in 2. annum Auditor.

Rev. D. Andreas Ignatius Gerdacovich, Liburnus Fluminensis, SS. Theol. in 1. annum Auditor.

Rev. D. Antonius Vitus Franul Nobilis de Weissenthurn, Liburnus Fluminensis, SS. Theol. in 1. annum Auditor, ex Archiduc. S. J. Conv. Colleg.

Rev. D. Petrus Paulus Cowaz, Carniolus La-
bacensis, SS. Theol. in 1. annum Auditor.

D. Antonius Altenedter, Civis Styrus Wei-
zensis, Methaph.

D. Joannes Baptista Karrer, Civis Suevus Aur-
bacensis, Methaph.

D. Joannes Jacobus Raninger, Civis Austriae
cus Passaviensis, Metaph.

D. Josephus Antonius Wolf, Nobilis Styrus
Auseensis, Methaph.

D. Joannes Bartholomæus Struppy, Nobilis
Carniolus Grainburgensis.

Problemata in adiudicanda.

I. An optimum Germaniæ vi-
num in Styria crescat?

II. Thermæ, an Acidulæ Sty-
riæ sint salubriores?


Problema Mathematicum.

E fono metiri rei distantiam:
atque inde determinare,
utrum navis tormentorum
ictibus obnoxia sit.

F I N I S.








NARODNA IN UNIVERZITETNA
KNJIŽNICA

COBISS



00000320923

